CATALOGUS ARCHIEPISCOPORUM SENONENSIUM, AD FONTES HISTORIÆ NOVITER ACCURATUS.

Auctore R. P. D. HUGONE MATHOUD *Preſbytero Monacho Ordinis S. Benedicti è Congregatione S. Mauri.*

PARISIIS,
Apud SIMONEM LANGRONNE, viâ Victorinâ ſub Sole Oriente.

M. DC. LXXXVIII.

Cum Approbatione & Privilegio Regis.

Digitized by Google

Digitized by Google

DISSERTATIONIS
DE VERA
SENONUM
ORIGINE CHRISTIANA
PARS ALTERA,

Exhibens Catalogum Senonenſium Archiepiſcoporum, ad fontes Hiſtoriæ noviter accuratum.

PRÆFATIO.

NON erat mens mihi novam Senonenſium Antiſtitum ſeriem hîc exhibere, quæ jam poſt multiplices alias publico bono prodiit hoc ſæculo, curâ ſtudioque Clariſſ. Virorum Claudii Robert, & præſertim Sanmarthanorum fratrum ſub eodem Titulo *Galliæ Chriſtianæ:* ſed doctiſſimorum virorum auctoritati parendum fuit, qui inde & Diſſertationi noſtræ non minimum lucis, & Lectoribus non parum utilitatis acceſſurum arbitrati, ad hunc adornandum Catalogum, invitum me & reluctantem impulerunt.

Alter ad hoc me ſtimulus egit, quod præter aſſiduam toto triennio in evolvendis & ad amuſſim expendendis Senonum Chronologiæ momentis operam, Chronicas elucubrationes

Digitized by Google

fama ſcriptorum, maximè qui in quæſitæ rei natali ſolo degunt, nec eminus proſpiciunt; quales auctores Senonici variæ ſenectutis à nobis laudati; aut ſi nuperi, ut aliquando Buretellus, Coquinus, Cotronius &c. illud ut neceſſarium attendere quod in evolvendis antiquioribus ſchedis, & in ipſis Eccleſiæ Senonenſis Literariis receſſibus ſenuerunt.

Et quidem non inutiliter in Diſſertatione noſtra monuimus, & hîc iterum ut decretorium rei momentum ſubjicimus, maximè ut Gaufrido à Collone toties à nobis laudando ſua fides maneat, qui cæteris omnibus accuratius Senonenſium Antiſtitum Chronologiam expendit, eorumque res geſtas recenſuit ad annum 1294. quo vivere deſiit; auctores mediæ ætatis, qui in conſcribendis Eccleſiarum natalitiis, aut aliis primæ ſenectutis rebus enarrandis inſudarunt, teſtari ſe membranis ſua canitie venerandis (ſi non ad primarium rei ævum reducendis) uſos eſſe, & tanta vetuſtate pene detritis, ut novis apicibus eas reddere ſuo tempore ſibi neceſſarium fore cenſuerint. Id de Codicibus noſtris Vivianis ſeu Bibliothecæ S. Petri Vivi, procurante piiſſimo Francorum Rege Roberto, factitatum eſſe certò ſcimus, & ab aliis Amanuenſibus ævo ipſius Gaufridi à Collone non perfunctoriè tentatum, monet ipſe initio Chronicorum ſuorum; cujus pericopem jam in Diſſertatione adductam, hîc referre non piget, quòd hic Catalogus, qui Diſſertationi noſtræ proximè ſubjiciendus & jungendus erat, operarum incuriâ ſolitarius forſan (niſi ex induſtria ambo in uno volumine compingantur) excurret.

Sic porrò Gaufridus [Videns prædeceſſorum ſcripturas ſuper nominibus, actibus, & ſepulturis Archiepiſcoporum Senonenſium longævis temporibus jam tranſactis editas, adeò veteratas, ut abſque difficultate non valeant recognoſci; & quia ſicut vobis placuit, Domine Prior, de prolixis, veteratis, confuſiſque noſtri Cœnobii libris quædam utilia breviſſime colligendo ſcripturas prædictas, prolixas & veteratas, prout ego parum ſciens potero, renovabo, &c.] Non loquitur Gaufridus de duobus Lectionariis ad uſum Chori renovari juſſis à Roberto Rege, qui ſua mole & apicum elegantia regiam pro tempore magnificentiam ſpirant; ſed de pluribus membranis Senonenſium Pontificum nomina & vitæ ſynopſin continentibus, quas longiſſimam ætatem tuliſſe, ut vix ab eo legi potuerint, ideo cenſeas quod primarius illius Codex qui pariter inſcribitur *de nominibus*,

actibus & ſepulturis dictorum præſulum; & libellus alter ejuſdem autographus *De ſacris Reliquiis Monaſterii ſancti Petri Vivi,* qui quadringentorum ſunt annorum, probeque conſignati; nullam adhuc paſſi ſint temporis injuriam cuncta corrodentis: ut hinc nemini dubium eſſe poſſite cùm Gaufridum, tùm Clarium nobiliſſimos Senonenſium rerum Scriptores antiquiſſimis Codicibus uſos eſſe, & à Criticis quibuſdam perperam objici eos mediæ tantùm ætatis Auctores eſſe, cùm illis præluxerint *qui ad geſta rei caput* (ut vult Launoius) *certa ſerie reduci poſſint.* His ex animo probéque dictatis conticeſcat jam Novantium turbo, & importunus Critices fumus abſcedat.

Exploſo jam in Diſſertatione noſtra (ſi faxint ſuperi) Sulpitii Severi programmate, quo duce vix hactenus eruditis ſapere licuit; & longius proſcriptâ Gregorii Turonenſis pericope, quam etiam ſuis diris devovit doctiſſimus Dupinius, & cùm amplexaretur, jugulavit: quis jam vere homo viros illos generali internecione deletos prudens nobis objiciat? Nec ipſe jam perſtreperet Launoius, ſi redivivus, & utinam, ad nos rediret.

At dices; nec immunis forſan ab hiatu Senonenſium Archiepiſcoporum ſeries, ut nec alii Cathedralium Eccleſiarum Elenchi: Ut hîc me Lectorem nactum eſſe puto, qui noſtram *de vera Senonum Origine Chriſtiana* Diſſertationem totam evolverit, certum habeo frivolam ei & nullam fore objectionem, quam pluribus agitavimus, & per ea rationis media quibus jam nemo, niſi perperam, obtendere poſſit ſpecioſum illud Sedium interpontificium. Succurrit omnium melius doctiſſimus Hugo Menardus, nec ipſe ſponte facilis, qui in priori Baſilica Virdunenſi, quæ tum Sedis honore gaudebat (nunc S. Vitoni Eccleſia Benedictina) vidit tumulatos, & citrà dubium omne, octo Virdunenſes Epiſcopos tempore patientis Eccleſiæ, de quibus omnis retro antiquitas ſiluit, nec ipſa Eccleſiarum Dipthyca loquuntur, ut fusè narravimus adverſus Launoium ex ipſis Menardi verbis in obſervationibus ad Martyrolog. Benedictinum. Rem ſcitu digniſſimam recolat Lector, cujus exempla aliunde deprompta ſimilis reticentiæ præſto ſunt ad manum, ſi repetita placerent.

Digitized by Google

CATALOGUS.

1. S. SAVINIANUS primus Senonenſis Eccleſiæ Præſul & Martyr. Ab ipſo Petro Apoſtolorum Principe miſſus in Gallias, nobiliſſimam illam ſacram Metropolim fundavit & rexit; & cùm per ſe tum per Collegas & diſcipulos Potentianum, Altinum, Aventinum, Serotinum, Eodaldum, &c. ceteras Primariæ Sedis ſuffraganeas Eccleſias, Pariſienſem præſertim, Carnutenſem, Aurelianenſem, Trecenſem, &c. erexit. Primam S. Salvatori Eccleſiam poſuit in Vico qui dicitur *Vivus*, tum alteram ei vicinam Baſilicam quæ *ſancti Petri Vivi*, non à vivente Petro, ſed ab eodem Vico cui *Vivo* nomen, dicitur; à Chlodoveo primo Francorum Rege Chriſtianiſſ. Monachorum inclito Sodalitio decoratam, & munificentius olim dotatam. Cujus Fundationis inſtrumentum autographum, phyliris inſcriptum (quod in inſigni D. de Meſmes familia precariò degit) à Criticorum ſuſurris & Cointii calamo, ſpeciali lucubratione vindicavimus. Plura de Saviniano, & ſacris ejus corporis exuviis & miraculis ad S. ejus corpus in Baſilica Viviana ſuo tempore patratis ſcripſit Gaufridus à Collone, quorum ſe teſtem oculatum perhibet in Chronicis & Libello ſpeciali *de ſacris Reliquiis Monaſterii S. Petri Vivi*. Utrumque codicem primaria manu conſcriptum penes me habeo, publico bono olim à me devotum & variis ſcholiis auctum.

In prioris S. Salvatoris Eccleſiæ receſſibus ſacris Martyr occubuit S. Savinianus ſub Severo Principe & imperante Domitiano; cui epochæ favet Oroſius lib. 7. Hiſtoriarum: *Domitianus confirmatiſſimam toto Orbe Chriſti Eccleſiam datis ubique crudeliſſimæ perſecutionis edictis convellere auſus eſt.* Ejus corpus in Cœnobiticam illam Baſilicam Vivi cum pluribus aliis ex ejuſdem arenariis Cryptis tranſlatum à Venilone Senonum Præſule anno 847. Robertus Pius Francorum Rex, & ejus uxor Conſtantia (quæ Saviniani beneficio in gratiam Regis redierat, impetrata Regia prole Henrico primo) nobiliſſimo reclinatorio argenteo, auro gemmiſque protecto, ut hactenus viſitur, votivo donario & grati animi monumento decorarunt anno 1029. Cujus ſanctiſſimi Præſulis reliquiis in illud illatis à Leotherico Archiepiſcopo 14. Calendas Novembris ejuſdem anni, ſacrum pondus in humeros Rex aſſumſit cum Optimatibus ſuis, & in publica ſuppli-

Digitized by Google

catione à Monachis *Vivi* celebratâ geſtavit. Cujus Tranſlationis dies feſtus agitur annua ſolemnitate & de præcepto per totam diœceſin Senonenſem ſub ritu feſtorum annualium, ut vocant. Prioris verò ſub Venilone, ſeptimo Calend. Septembris cum officio Semiduplici in Breviario Senonenſi, nuperæ recognitionis ſub Octavio Archiepiſcopo anni 1641. Cujus item Regiæ Proceſſionis ſub Roberto memores illius Primatialis Eccleſiæ venerabiles Canonici (qui majores inter eos dicuntur) æmulo pietatis æſtu alternis vicibus bini & bini ſubvehunt capſam illam in publica Supplicatione Litaniarum feſto S. Marci à porta Urbis, B. Mariæ aut S. Leonis dicta, per exteriorem murorum ambitum ad Sacellum uſque ſub invocatione S. Remigii à Monachis de Vivo poſitum, ubi pridem inſigne Benedictinorum Cœnobium, à quibus ibidem ſacra Lipſana reſumuntur. Ab iiſdem aſſervatur pretioſum Saviniani caput ſecuri & enſe in vertice bis inciſum, totâ Galliâ venerandum, quod eleganti opere & magnifico cultu contegitur.

De ejus in Galliam adventu & apoſtolica ſub Petro delegatione plura dedimus in ſuperiori Diſſertatione, & neceſſarius Lectori ad eam recurſus, ut quàm parum fauſtis avibus Critica proceſſerit, cùm à majorum orbita deflexit, ſibi habeat perſuaſum. Nec objiciendum nobis Florentii Gregorii ſilentium, quo tota perſonat Critices ſchola, qui de ſuæ Turonenſis Eccleſiæ rebus & præcipuis ſiluit, uti jugiter conqueruntur eruditi. Nullus de Saviniani ſede & martyrio vel minimùm unquam dubitavit, qui ſi ſub æra Marci Aurelii aut Decii poneretur, pacificus ubique gentium degeret, & in Launoii Morboniam exul ageretur Gregorius qui de eo ſiluiſſet. Non neſcivit ille Senonicam Metropolim, & ſuffraganeas ejus ſedes, præſertim Lutetianam cujus frequenter meminit; & quis eo tacente æquus cenſeretur qui diceret primariam illam Eccleſiam & plurium matrem, nullum ad uſque tempora Turonenſis ſcriptoris habuiſſe præſulem? Hîc parcendum Gregorio, cui per nos aliàs non fuit impune, & cui Ludovicus Dupinius cenſor egregius totius retrò Eccleſiaſticæ Antiquitatis in primis quatuor Æræ Chriſtianæ ſæculis, libellum repudii dedit, ut Cypriano germano parenti Epiſtolam contrà Marcianum Arelatenſem Epiſcopum aſſereret; qua ſtante, ut ab omnibus bene doctis recipitur, tota peſſum it Gregoriana pericope, & Theſeus ille neotericæ ſcholæ ad incitas agitur.

Digitized by Google

Nec minus retunditur Severi Martiniani monachi clypeus; per Euſebium, ut vidimus, explicandi; quin & ab ipſo Johanne Launoio ad avitæ fidei ſenſa per *indefinitam* ejus *epochan* revocandi; qui Severo ſuo ſibique cavens poſt tot litium anfractus validamque telum intorquentium manum, Severianum iſtud primos Galliæ Martyres ad Aurelianam æram anni 169. reducens: *Tunc primùm in Galliis viſa ſunt Martyria, ſerius trans Alpes Dei religione ſuſceptâ*, ſic intelligendum eſſe concepit, ut per Ly *ſerius*, nihil aliud velit Severus quàm prædicatam prius Romæ & Ciſalpinis regionibus fidem Chriſtianam, quàm Tranſalpinis, non attento quidem ullo notabili temporis intervallo, ſed ſola, ut loquuntur prioritate naturæ aut originis, ad eum fere modum quo fluvius regiones alluens priùs eas lambit fonti vicinas quam remotiores, quamvis perenniter fluat. Hujus ingenioſi dogmatis ſenſum & verba Launoii dedimus in Diſſertatione noſtra; poſt quæ totis jam theatris exploditur ipſe Severus. Et quidem curſim iſta perſtringimus in gratiam Lectoris, cui forſan nondum obvia fuit prolixior de his noſtra diſputatio adverſus Launoium, in qua ſincero marte pugnavimus, & Critices fucos eliminavimus.

Huic Saviniani Chronologiæ ſuffragantur Acta ejus Martyrii pura labis, non quæ ad incudem ſuam torſit Launoius ex exotica Petri de Natalibus pericope, in qua de Saviniani primatu Galliarum (ampla Doctori Navarræo ridendi ſegete) quam indignam cordato viro ἀπάτλω in Diſſertatione repudiavimus; ſed quæ germana perhibent Eccleſiarum Metropolitanæ & Vivianæ Senonenſium exemplaria. Eamdem æram conſignant Acta SS. Sanctiani & Beatæ Martyrum à Launoiano pumice intacta; ut & Columbæ ſanctiſſimæ Cœlitis, omnium Gentium linguis vulgata. Et ne ſim nimius pro tuenda hac primi ſæculi epocha, ſpecialis à nobis prodiit in lucem Diſſertatio tot Veterum monumentis inſtructa, qui Saviniani ut Apoſtolorum collegæ aut diſcipuli, meminere, ut ambigendi nulla poſſit ratio ſuboriri. Sed præ ceteris conſulendi ſcriptores Senonici in patriis rebus oculatiſſimi, & magni apud probatos Auctores nominis, Odorannus, Clarius à nobis in lucem editus, Gaufridus à Collone, Gaufridus Hyron, mediæ quidem ætatis, ſed ab Auctoribus ætate Caroli Magni ſuperioribus (ut avebat Launoius) lucem mutuati. Quos poſt Bedam Saviniano propitium proxime ſequuntur Uſuardus, Ado Viennenſis, Notkerus Balbulus, Wandalbertus, &c.

Digitized by Google

Nec minus audiendi recentiores qui famâ præſtantes & veterûm eruditione ſaginati, quos inter Baronius & Petrus de Marca; longo literarum ſenio clari primis à Petro Miſſionibus ſubſcripſerunt. Taceo quoſdam alios, ut Uſſerium inſigniter doctum, ſed damnatæ apud nos memoriæ, quòd in Catholicis dogmatibus à Fide Romana defecerint. Lectori forſan ingratum non erit ad eos recurrere, ut quæ Clariſſ. Viri Sanmarthani circa hanc æram ex quorumdam ſcrupulo perplexi referunt quibuſdam in locis ſuæ *Galliæ Chriſtianæ* editionis anni 1656. præſertim in Dionyſio Pariſienſi ex Gregorio Turonenſi, qui ſemper de Saviniano ſiluit, & ei proinde nullibi adverſarius, quibus hujus primarii Senonum Antiſtitis imperi poſſet epocha, meliori cenſuræ cedant.

Cæterùm compeſcendis Criticorum ſuſurris non diſplicebit adverſæ partis ſtudioſis hîc verba referre celeberrimi Severianorum & Gregorianorum primipili, doctiſſimi Jacobi Sirmondi quibus tandem veritati cautum eſſe voluit, quam priùs graviter læſerat: quæ quaſi ſupremis Teſtamenti codicillis poſteritati ſacra voluit, & ex eo eruditus Vir Labbeus Tomo VI. Conciliorum poſtremæ Collectionis anni 1671. pag. 489. poſt privilegium Landerici Pariſ. Epiſcopi pro Sandionyſianis Monachis. [« Privilegium illud ab aliquot annis non ſecus ac Sangerma» nenſe, Sanmedardenſe, Turonenſe S. Martini aliaque ejuſdem» modi, oppugnarunt propugnaruntque viri pereruditi, quorum » ſcripta extant in manibus omnium, *Nec noſtrûm inter eos tan» tas componere lites.* Illud tantummodo ſanctiſſimi Pontificis Cæ» leſtini ſubjiciam effatum, omnium ſæculorum approbatione con» ſecratum, ac Vincentii Lirinenſis plurimorumque ſapientiſſi» morum ſcriptorum ſuffragiis corroboratum: [Deſinat inceſſe» re novitas vetuſtatem firma ac pacifica complurium annorum » ſucceſſione corroboratam, multorumque Romanorum noſtra» tiumque Pontificum, Regum Franciæ Chriſtianiſſimorum, alio» rumque Principum diplomatis identidem renovatis communi» tam. Deſinat Eccleſiarum quietem inquirendo turbare, &c.] Hæc Sirmondus jam verè ſuus, veritati concors, longo & caneſcente ſtudiorum uſu doctior, planeque magni ſui nominis hæres, famaque glorioſiſſima dignus. Hæc alter cordatus homo iterum refricans, Fratribus ſuis conſignanda reliquit in ipſo ſacrarum Literarum umbilico, nupera ſcilicet Conciliorum omnium editione, ne celebri mœrori (tanti eſt Sirmondum pœnitentem

tentem eſſe) ſuus locus deeſſet. Hæc tandem inclitæ ſocietatis, cui vera placent, Theologus à quo prima veritas cælis eum prope diem exceptura, veritatem hanc elicuit, quâ veluti pumice ſincerè deleret quæ in prima ſtudiorum ætate ceteris offendiculum erant, præſertim in alia nota quæ ſubjicitur in eadem generali Conciliorum editione Epiſtolæ Ludovici Pii ad Hilduinum Abbatem S. Dionyſii Tomo VII. col. 1579.

Paſſus eſt S. Savinianus in ipſo alodio S. Petri Vivi pridie calendas Januarii, quo die fit iterum de eo feſtum ſolemne in Eccleſia Senonenſi & Viviana; & ædes ſacra S. Salvatori quæ Parochialis eſt, Saviniani nomen obtinuit: quam Chlodoveus primus Francorum Rex Chriſtianiſſimus Vivianis Monachis eidem vicinis ampliſſimo Diplomate conceſſit. Eadem die Senonis item capite plexa eſt celeberrima virgo Columba ſub Aureliano Imperatore, cùm ex Hiſpaniis ad Saviniani ſepulchrum votiva perigrinatione cum ſociis pariter cæſis veniſſet. Ad cujus tumulum Chlotarius primus Rex nobilem Titulum erexit inſigni monachorum Benedictinæ regulæ Sodalitio hactenus decoratum. Quod par ſanctiſſimum Savinianus & Colomba claudit annum Senonenſem.

2. S. POTENTIANUS, S. Saviniani cum S. Altino Aurelianenſi collega, ſucceſſor & Martyr eodem die, ſed anno vertente, ſcilicet pridie calendas Januarias; ſub eodem præſide cui Severo nomen. Conſentiunt omnes veteres & moderni qui de rebus Senonicis ſcripsêre, Potentianum uno tantùm anno Saviniani cædem ſuperaſſe; ſed mendoſe conſignant ſub æra Domitiani annum Chriſti nati 74. (quo paſſum volunt Potentianum) qui erat ſextus Veſpaſiani. Utrumque autem ſub Nerone cæſum, nugæ ſunt noſtris & in ſcientia temporum peritis incognitæ. Germana ſunt quæ de Potentiano & ſociis dederunt Clarius, & Gofridus à Collone in tabulis Chronologicis poſt Odorannum. Senonis, Trecis, Pariſiis, Carnuti, Aurelianis & alibi celebris ejus memoria. Sacra corpora Potentiani, Altini, Serotini, Eodaldi, Victorini, Foretini ſeu Paulini ejus filii, tranſtulit idem Venilo cum corpore S. Saviniani in vicinam Baſilicam S. Petri Vivi eodem anno 847. cui tranſlationi diem feſtum aſſignat Eccleſia Metropolitana Senonenſis in veteribus ſuis Dipthycis & Breviario nuperæ reformationis anni 1641. Monialibus de Jotro temerè ſibi conce-

B

dentibus corpus ſancti Potentiani, ſilentium & dicam erroris impoſuit Petrus de Corbolio cum ſuis Suffraganeis in Concilio Senonenſi anni 1218. cujus autographum inſtrumentum & eorum omnium ſigilla ex Capſa S. Potentiani ante ſexennium nova ex argento fabrica reſtituta, quæ videnda extraxeram, in eadem ipſe repoſui.

3. S. LEONTIUS obiiſſe legitur in Chronico MS. S. Petri Vivi anno Chriſti centeſimo tertio, ut etiam habet Claudius Robert. At Typographiæ mendum eſt quod ſederit annis 58. ut legis apud eumdem, ſed 28, idque juxta priorem allucinationem, qua cum quibuſdam opinatus eſt Potentianum defeciſſe anno Chriſti 74. Verùm ex vera Domitiani epocha quæ incipit die 13. Sept. anni 81, ille corrigendus, ipſeque in noſtra Diſſertatione,& anni tantũ 21. Leontio concedendi,qui veteribus ſchedis Eccleſiæ Senonenſis pertinaciter adhæſit,eumdem annum 103. habet pro Leontii funere: *In Cæmiterio ubi prædeceſſores ſui tumulati fuerant, ſepultus eſt anno videlicet centeſimo tertio.* Quod ſi mendum tantum ſit in nomine Cæſaris, ut pro Domitiano reponendus ſit Veſpaſianus, & annus 74. ſit revera lethalis annus Potentiani, nulla erit facienda mutatio in computo Diſſertationis noſtræ ad cap. 4.

4. SEVERINUS. Memoratur in inſtrumento ſeu Charta fundationis Abbatiæ S. Petri Vivi in ſuburbanis Orientalis portæ civitatis Senonenſis,quam Chlodoveus primus Francorum Rex Chriſtianiſſimus conceſſit filiæ ſuæ virgini Theodechildi. De quo Diplomate fuſiùs egimus. Nec ſiluimus autographam Chartam Pariſiis aſſervari in illuſtriſſima domo DD. de Meſmes ab anno 1620. Senonis Lutetiam pro forenſibus negotiis illatam. Hunc porro Severinum veteres omnes & qui inter recentiores monumentis antiquis inhærere maluerunt, eum habent in ordine quartum. Nec male conjicit Robertus duos in ſerie noſtrorum Præſulum reponendos eſſe Severinos ex infra dicendis in alio æquivoco qui Concilio Colonienſi præſens fuit, anno 347. aut circiter. Sic autem in Regia Charta Chlodoveus, Cœnobii de Vivo ſeu Vivi locum deſignans: [Trado » illi (Theodechildi) partem de hereditate mea, quæ » venit in ſorte mea ex parte uxoris meæ Chrothildis; quæ » hæreditas fuit patris ejuſdem uxoris meæ Chilperici Regis » Burgundionum. In primis igitur trado illi Eccleſias meas duas; » unam in honore beatorum martyrum Saviniani & Potentiani;

Digitized by Google

alteram in honore beati Serotini martyris, cum omni decima- »
tione, & quidquid ad ipſas pertinere videtur. Diſtant enim »
ipſæ Eccleſiæ ab Urbe Senonica milliario uno. Inter autem »
ipſas duas Eccleſias ſunt paſſus ferè quinquaginta. Igitur in »
Cæmiterio ipſarum Eccleſiarum per voluntatem meam & uxoris »
meæ filiorumque meorum & procerum Francorum, volo, »
conſentio ut ædificet monaſterium ſuum filia mea cariſſima ad »
ſimilitudinem ipſius Baſilicæ quam cæpimus ædificare ego & »
uxor mea in conſpectu Pariſiacæ Ubis in honore Apoſtolorum. »
Eſt enim in ipſis Eccleſiis *ab antiquis temporibus* beatorum »
Martyrum, Præſulum Senonum ſeu Clericorum ſancti Ste- »
phani, & procerum ejuſdem urbis, populique ipſius pagi ob »
amorem eorumdem Martyrum (Sepultura.) Nam ibi requi- »
eſcunt pretioſa corpora martyrum ſucceſſorumque eorum, ve »
nerandi Pontifices Senonicæ urbis, id eſt Leontius, Severinus »
Audatus, Eraclius, Lunarius, Simplicius,.& Theodericus »
Archidiaconus cum aliis ſanctis viris.] Quibus vides, jam »
ab antiquis temporibus ſex illos Senonum Antiſtites in Cryptis Vivianis tumulatos fuiſſe præter Ss. Savinianum & Potentianum: quos inter cùm iſte Severinus quartus in ordine recenſeatur, & octo illi longiſſime abſuerint ab æra Chlodovei, quem natum volunt anno 467. & vigeſimo à Concilio Agrippinenſi in quo indubitanter ſedit *Severinus Senonenſis*, ut acta teſtantur; duos eſſe ſynonimos qui Senonis præſederint, nemo jure ibit inficias. Legeſis quæ in Diſſertatione iximus in cap. 4. Proremhunc Severinum obiiſſe anno Chriſti 129. ferunt Dipthyca noſtra & veteres membranæ.

5. AUDATUS. Obiit 161. ex Chronico MS. mihi nunc ad manum, & eodem anno quo rerum potiri cœpit Marcus Aurelius gener deceſſoris Antonini Pii. Hujus Chronici nulla fuit copia Claudio Robert, qui Audatum obiiſſe ſcribit 216. ex Chronico quod me fugit: niſi iterum typorum mendas incuſes. Graviùs impegit qui S. Polycarpum Audato præpoſuit, Democharem ſequutus; quibus cùm Polycarpus innoteſcere non potuerit niſi ex actis S. Mathurini, quem ſub Maximiano Herculio vixiſſe certum habent Baronius & alii, poſt annum ſcilicet 286. quo primo die Aprilis ad Imperii faſſes accitus fuit à Diocletiano, qui potuit Audatus deſiiſſe ab humanis anno 216. & Polycarpo ſucceſſiſſe Mathurini ſynchrono?

6. HERACLIUS I. In Chronico MS. legitur cœpiſſe ſub

B ij

Digitized by Google

Pio primo, Romano Pontifice, qui primùm Romæ ſedit anno 156. & rexit annis 9. & ſex menſibus. Quem intra novennium illud ſedis natalem figas Heraclio, ſcriptoribus ſibi coævis deſtituto qui rem acu tetigerint, perinde eſt. Jam præfati ſumus in his Chronologiæ involucris (quantùm ad ſeptem aut circiter Senonum Archiepiſcopos) æquum & benevolum lectorem nihil à nobis exigere poſſe præter fidem Chronicorum aut ſchedarum variæ ſenectutis. Sincerè promimus, ſed citrà vadimonium noſtrum, quamdiu aliundè lux certa non affulgebit. Præſules illos illis circiter temporibus floruiſſe, res eſt quæſtioni non obnoxia: tantumdem ſedis habuiſſe, ſcrupuloſius rimari noſtra non eſt; & in hac minutiarum caligine, quâ etiam nonnumquam prima ſedes laborat, nihil deficit decori primatialis Eccleſiæ Senonenſis.

7. LUNANUS, al. Lunarius. In eodem Chronico MS. aſſumptus dicitur tempore Victoris Papæ anno 201. (quo idem Papa deſiit 7. Cal. Aug.) & 38. annis Eccleſiæ Senonen. clavum tenuiſſe.

8. SIMPLICIUS ſub Antero Pontifice Romano (qui nœvus eſt in Chronolog. Tabulis) melius ſub Fabiano ſucceſſore. Vixit ad annum 280. & ut habet Chlodoveus ſupra, ſepultus fuit cum præcedentibus in cryptis arenariis S. Petri Vivi. Num ſub Aureliano tum ſenonis Sæviente ſe ſe ad ſuorum uſus ſubduxerit, & confeſſionis gloria citrâ ſanguinis effuſionem inclaruerit, ſilent omnes membranæ noſtræ. At genuino charactere & ejuſdem Cæſaris æra conſignatum habemus illuſtre Martyrium SS. Sanctiani & Beatæ ſororis, Senonis ad clivum ſeptentrionalem decollatorum, & in eodem *Vivi* cœnobio quieſcentium. Quo pariter tempore & ibidem cæſa eſt nobiliſſima virgo Columba omnium linguis, quà patet Chriſtianus Orbis celeberrima; quæ propè Senonas titulum habet inſignem cum inclito Benedictinorum Aſceterio, ubi quieſcit in argenteo feretro à S. Eligio Noviom. Antiſtite euſo.

9. S. POLYCARPUS. Affirmare non auſim Chronicon MS. quo cum aliis ſenioris ævi utor, innotuiſſe Demochari & C. Robert, apud quos aberrant à vero Notæ Chronicæ, ut jam monuimus; & apud iſtum ponitur quartus in ordine Polycarpus, perperam quantum ad ſeriem, erroris incuſans Democharem. In alio verò mihi familiari recenſetur nonus; & Senonis ſediſſe ſub tempora Caii Papæ & Aurelii Probi Impe-

Digitized by Google

ratoris. Primus rexit ab anno 283. 17. Decemb. ad annum 296. 22. Aprilis : alter ab anno 276. ad annum 282. die 2. Nov. ita ut duos aut circiter annos imperii Probi deſinentis Polycarpus jam Præſul viderit. Qui verò ſedis ejus annos ſeriò digeſſiſſe videtur Jacobus Severtius in Hiſt. Lugd. Galliæ Celticæ, eum deceſſiſſe ſcribit anno 310. 2. Euſebii Papæ anno & Conſt. M. quinto. Certum item S. Mathurinum ſuæ Diœceſis in Lyricantu Vaſtinenſi indigenam ad ſacerdotium promoviſſe, ut in illius Actis à Baronio laudatis legitur. Recenſetur etiam inter hujus ſedis Præſules à Chenutio, Buretello, Coquino, Cotronio, &c.

10. SEVERINUS II. Sedit cum aliis Præſulibus & cauſam agitavit Euphratæ in concilio Colonienſi, quod anno 346. aut ſequenti celebratum fuiſſe peritiores temporum opinantur cum Sirmondo & Labbeo. Habetur illa Synodus tom. II. Concil. in qua diſertè ſcribitur inter Patres *Severinus Senonenſis*. Ad fidem Tavelli pag. 5. ſedit etiam in Conc. Sardicenſi cum 33. aliis Gallicanis Epiſcopis, & S. Athanaſium ſibi teſtem adſciſcit.

11. S. URSICINUS. Faſtis Eccleſiæ Romanæ, Senonenſis, & plurium aliarum inſcriptus. Vetus Chronicon MS. tabulæ Senonenſes, antiquum Legendarium Vivianum à Roberto Rege iterum exſcribi juſſum, Gaufridus à Collone pluribus in locis (cujus codex primarius mihi ad manum) Tavellus, Buretellus, Cotronius conſtanter aſſerunt Urſicinum cum Hilario Pictavienſi & aliis Galliarum Epiſcopis, fortiſſimis fidei pugilibus, ex conventu Biterrenſi in Phrygiam actum : unde certa Præſulis hujus epocha figitur; nam extorres facti ſunt anno 358. & poſt tres annos à Conſtantio, niſi mavis dicere Juliano revocati. Liber ab exilio hæſit pauliſper in Oriente, Jeroſolimam inviſit, ubi donatus plurimis ſanctorum pignoribus, præſertim infantum Herodianæ cædis corpuſculis novem, quibus ſacram ædem & Monaſterium (ubi conſepeliri voluit) ad portam urbis Senonum conſtruxit ſub titulo SS. Gervaſii & Prothaſii, accitis eò Baſilianis Monachis. Qui poſtea, & jam attritis Monaſterii locis ob viciniam urbis, & clades bellorum, S. Leoni Senon. Archiepiſcopo nonus cedens, in parochialem Eccleſiam pauciſſimi gregis tranſiit & jam expirat. Anno 876. Anſegiſus Senonenſis Antiſtes, Galliarum & Germaniæ Primas (ut iterùm dicetur.) Corpora SS. Urſicini, Leonis, Agri-

tii & Ambroſii deceſſorum ſuorum cum ſacris lipſanis SS. Innocentium tranſtulit in Cœnobiticam Baſilicam S. Petri Vivi, ex qua Monachum ibi profeſſus ad infulas Senonenſes aſſumptus fuerat. Quorum omnium Reliquias argenteis ſcriniis identidem renovatis contegi fecit.

Obſervant plerique, qui ſuprà, & inde prodiit eccleſiæ Senonenſis fides, Urſicinum inviſiſſe S. Baſilium Cæſarienſem & ab eo Reliquias accepiſſe B. Mamantis, quibus hactenus gaudet illa primatialis Eccleſia. Hæc potuit Baſilius nondum infulatus; aut ſi jam Epiſcopus, ibi moram traxiſſe debuit Urſicinus, quod ægrè conſenſerim, cùm Baſilius ordinatus non fuerit niſi anno 369. Notant omnes eum poſt reditum diu vixiſſe & pacifico funere in æde Gervaſiana quieviſſe, donec Anſegiſus eum cum aliis ad ſecuriorem & decentiorem ſitum Vivi repoſuit. Hæc ad fontes Hiſtoriæ. Hinc advertas licet quàm infidis ſchedis & imperitis Claudius Robert (aliis lapis offenſionis) incubuerit, qui notat obitum Urſicini ad annum 356. biennio citiùs quàm in exilium ageretur cum Hilario. Minus ferendum quod Tavellus ſcripſit de utriuſque proſcriptione ad annum 337. ſed non infrequentes apud eum tales chronologici lapſus, de quibus nec tacere licet, nec promere delectat.

12. THEODORUS. In chronico obitus ejus ſignatur anno ſexto Siricii Papæ qui incidit in annum 390. R. S. Gaufridus à Collone vetus Auctor Senonicus qui duravit ad annum 1294. ſcripſit 52. tabulas Chronologicas, ſincera fide & ſcientia temporum apud eruditos, quibus adfuit illuſtris, pauca de Theodoro & Sindino ſucceſſore nobis ſubminiſtrat præter ſepulturam in Cœnobio Gervaſiano ad portam urbis. Certum tamen exhibet characterem ætatis hac Epigraphe, quam majuſculis literis ſextæ tabulæ præfigit : *Theodorus Senonenſis Archiepiſcopus S. Martini Turonenſis Epiſcopi contemporaneus*. In cujus operis præludio, ut in noſtra Diſſertatione contra Launoium præmonui, dicit ſe prædeceſſorum ſuorum Chronicis longiſſimo ſenio *Veteratis* uſum eſſe. In eodem Chronico & altero ſibi familiari & vetuſtiori (Odorannum conjicio, qui Senonicorum ſcriptorum antiquior eſt) notat obitum S. Martini Turonenſ. ad annum 399. qui temporarius apex pluribus arridet.

13. SINDINUS, al. SICLINUS. Apud Democharem & Cl. Robert obiiſſe dicitur anno 421. ex Chronico MS. cui cohærent tabulæ Senonenſes, & apud Coquinum & Buretell.

Digitized by Google

ſilentibus tamen noſtris Clario & Gaufrido annos à Chriſto nato. Ad ejus Pontificatus initium annotatur in veteribus ſchedis noſtris notiſſimum illud S. Martini miraculum, qui grandinem ſingulis annis in pago Senonico immodicè ſævientem compeſcuit quandiu vixit. Humatus jacuit Sindinus in æde S. Gervaſii, inde cum Theodoro deceſſore in majorem Eccleſiam probabiliter tranſlatus; nulla enim nobis exhumationis aſſertio patet.

14. S. AMBROSIUS vitæ ſanctimoniâ, & publicâ Senonum religione clariſſimus die 3. Septemb. ei ſacra. Tabulam ſuam 8. ejus nomine ſic inſcribit Gaufridus à Collone, & ante eum Clarius Symmyſta item Vivianus: *S. Ambroſius Senonenſis Archiepiſcopus. S. Germani Antiſſiodorenſis, & S. Lupi Trecenſis Epiſcoporum contemporaneus fuit.* Par in altero Codice MS. chronologia. Medio ferè ſæculo quinto mira vitæ ſanctitate & doctrinæ famâ jam dudum illuſtres floruêre duo illi Præſules.

Ut nota ſit lectoribus quantùm ad temporum rationem ſincera Chronologorum S. Petri Vivi (quorum hîc frequentius manu ducimur) fuerit religio, hoc ſe probare voluit effato Chronicon vetus (ex quo poſteà Gaufridus) innuens nihil velle ſe temerè diffinire ubi prædeceſſorum aſſerta à ſe invicem diſſentirent. In aliis tabulis annos Incarnationis tutò præfigit. Hîc autem in rubrica tabulæ VII. ſic cordatè. [VII. Tabula loquitur de ſancto Ambroſio. Præſens tabula, & præcedens, & ſequens non loquitur de Romanis Pontificibus, nec de Imperatoribus, neque etiam de annis Incarnationis Dominicæ; nam chronicæ non bene concordant ſuper his, & ſcripta non concordantia ignorantiam generant, unde mihi videtur ſic tranſire melius quàm mentiri.] Pergit [Ipſius, Ambroſii, vita virtutibus effulgebat. In Nonis Septembris migravit à ſæculo, vivens in Chriſto. Sepultus fuit in Eccleſia beati Leonis, aliàs Gervaſii & Prothaſii, ubi per Dominum miraculis coruſcavit: ac deinde per venerabilem Anſegiſum Senonens. Archiepiſcopum in monaſterium S. Petri Vivi cum aliis tribus (SS. Urſicino, Agritio & Leone) corpus ipſius tranſlatum fuit, & ibidem honorifice conſervatur.] Hæc ſcriptor inſignis ſincerè probus; cujus religioſa fides parem à lectoribus exigit in aliis ſuæ chronologiæ momentis in hoc Elencho diffuſis.

Ambroſiii tempore vixiſſe volunt S. Flavitum (ſecus alii

quidam) cujus corpus argentea Capſa contectum viſitur in celebri templo Monachorum S. Columbæ Senonenſis, & dies feſtus agitur 18. Decembris.

15. S. AGRITIUS al. AGROERIUS. *Sancti Remigii confeſſoris Remenſis Archiepiſcopi contemporaneus fuit*, inquit Gaufridus à Collone, *vir præclariſſimæ ſanctitatis, multis virtutibus præfulgens*, *&c.* Honorifica compellatione & laudibus eximiis invitatur à Sidonio Apollinari Arvernorum Antiſtite epiſt. 5. libri 7. pro electione Simplicii Bituricenſis Archipræſulis, anno circiter 472. plura Sammarthani clariſſimi fratres, in paſtoris & Eccleſiæ Senonicæ decus relatu digniſſima. Ejus ſacrum corpus transfert Anſegiſus anno 876. ex Eccleſia Cœnobitica SS. Gervaſii & Protaſii (in cujus ruderibus nunc viſitur Sacellum S. Leonis) in Baſilicam S. Petri Vivi, quam primus ille Galliarum & Germaniæ Primas, ut propriam domum in qua ex Canonico Senonenſi Monaſticen voverat, vicinarum Eccleſiarum ſacris ſpoliis ob frequentes Barbarorum incurſiones penè dirutarum, abundè ditavit.

Hîc locus tuendæ veritatis & inclyti Præſulis famæ vanâ, Tavelli, Auctoris tamen Senonici, cenſurâ periclitantium. pag. 9. libelli ſui de Senonum Præſulibus anni 1608. imponit Agritio Senonenſi quæ propria ſunt Antipolitani. Hic in ordinatione Protadii cujuſdam prævaricator fuerat Canonis Concilii Arelatenſis VI. cui per Cataphronium preſbyterum ſubſcripſerat. Juſſus cauſam dicere & ſe tueri in Synodo Carpentoratenſi quæ anno 527. celebrata fuit; & illi adeſſe per ſe aut per alium detrectans, Synodica Cæſarii & aliorum Patrum Epiſtolâ ed eum directâ ſuſpenſus fuit ad annum à Miſſarum celebratione. Non advertit Tavellus utramque Synodum Arelatenſem & Carpentoratenſem quibus jure tenebatur adeſſe Agritius Antipolitanus, ſolos ſpectare comprovinciales Epiſcopos; aut honoris tantùm gratia, eidem Provinciæ vicinos, qualis non erat Senonenſis. Nec attendit Synodum illam Arelatenſem fuiſſe coactam occaſione tantùm dedicationis Baſilicæ S. Mariæ, quibus encæniis ſuffraganeos ac etiam propinquos Antiſtites intereſſe mos erat: at vix fidem obtinebit, invitatum eſſe Senonicum Præſulem tanta locorum intercapedine diſtantem. Tùm quid illud, amabò, Metropolitanum ſuæ ſedis apice & meritorum famâ toti Galliæ conſpicuum, in aliena provincia cauſam dicere juſſum, ſuſpendi, multari? Hæc forſan condonanda Cauſidico Senonenſi,

Digitized by Google

Senonenſi, cætera clariſſimo, qui à forenſibus negotiis ad Eccleſiaſtica rimanda precipiti gradu properavit. At non indulgendum ejus oculis, dum ſcribit eo loci Agræcium noſtrum in Agathenſi Concilio anno 506. (male ſibi 438.) conſediſſe & ſubſignaſſe ; ubi diſertè ſcribitur Agræcius alter Antipolitanus (qui ſupra) cum hac ſyngrapha *Agræcius in Chriſti nomine Epiſcopus de Antipoli ſubſcripſi.* Præterea cur Synodum hanc 68. annis ad anteriora retrahit ſub Sixto III. in cujus lemmate præfigitur annus 8. Symmachi Papæ, qui cum aliis notis chronicis eidem Concilii titulo appoſitis , anno prædicto 506. cohæret.

Verùm qui non vidit in ſubſcriptione Agræcii Antipolitani omnium oculis expoſita ; ſolus vidit Agræcii Senonenſis nomen in ſubſcriptionibus Concilii II. Arauſicani, anni 529. (falsò apud illum 445.) quod à nemine legitur : ſic tamen Tavellus loquens de Agræcio ſeu Agritio Senon. *Concilio etiam Aurasicenſi adfuit & ſubſcripſit, in quo de libero arbitrio tractatum eſt anno* 445. Certum quidem eſt primum Concilium Arauſicanum celebratum fuiſſe anno 441. & inter Præſulum ſubſcribentium nomina, numero 17. legi quemdam *Agreſtium*, in ordine quintum. At nulla de Gratia & lib. arbitrio agitata ibi quæſtio ; nec notant Tabulæ Senon. anno 441. præfuiſſe Agritium ; nec probabile in peregrina Provincia & longius diſſita Synodaliter conſediſſe ; cùm poſt triginta aut circiter annos ei reſcribens Sidonius Apollinaris ut ſe Bituricas conferret pro electione Simplicii, ut dictum ſupra, ratione paucitatis eligentium Prælatorum ; non diſſimulet rem arduam à ſe peti, licet ei conſeſsûs Præſidentiam offerat epiſt. 5. lib. 7. [Nec « te , *inquit*, quanquam Senoniæ caput es, inter hæc dubia ſub- « traxeris intentionibus medendis Aquitanorum ; quia mini- « mum refert quod nobis eſt in habitatione diviſa Provincia, « quando in religione cauſa conjungitur, &c.] & in fine [Si « venitis, oſtenditis quia terminus potuerit poni veſtræ quidem « regioni, ſed non potuerit charitati.] Stet igitur integrum vitæ « purumque labis ſediſſe Agritium Senonenſem, qui tutando, mihi gravius nec citrà pudorem incubuit Tavelli lapſus indigitare, & quæ ῥαθύμως pluribus in locis evulgavit. Alium ei cenſorem dediſſem, ſi mihi in paupere penu ſatis librorum egeno fuiſſent ad manum ſcholia Sirmondi & Savaronis in Epiſtolas Sidonii.

Digitized by Google

16. S. HERACLIUS. II. Apud Gaufridum in Chronico MS. veteres omnes, & recentiores cum doctiſſimis Sammarthanis ponitur adhuc S. Remigii ſynchronus; & præſulatûs ejus initia conſignant ad annum 488. Remis cùm intinctus fuit Chlodoveus, adfuiſſe volunt eum antiquis Chronologis noſtris ipſi Sammarthani in Gallia ſua Chriſtiana. Subſcriptus legitur cum Baptiſta Remigio in Charta Chlodovei pro fundatione Cœnobii S. Petri Vivi Senonenſis, quam à quorumdam novæ critices ſcrupulis eximimus in Diſſertatione noſtra adverſus Johan. Launoium, quam cùm impetunt ſocietatis illius primipili Sirmondus Valeſius, Mabillonius, Launoius, Cointius, &c. perpetuo inter ſe conflictu, veritati Diplomatis fortiter ſuffragantur, quæ ſuo lumini nunc adulta, adverſariorum oculos perſtringit. Ad ejuſdem Baſilicæ Vivianæ dedicationem accingebat ſe, ut notant veterrimæ Chartæ, cùm ſtupendo miraculo, ad hanc uſque diem Senonum memoria celebri, videt illam Heraclius cum ceteris Vicinarum Diœceſeon Epiſcopis divinitus conſecratam. Erexit etiam *prope metas S. Petri Vivi* (ſic narrant antiqua Chronica) memoriam S. Johanni Evangel. quæ diu ſacrarum Virginum domicilium fuit, alteri Monachorum Cœnobio contiguum. Quibus ob clades bellorum ſecedere juſſis, locus ille ceſſit ex integro Benedictinis Monachis ſub S. Bettone S. Columbæ Senonenſis Monacho. Extat etiamnum Charta Ludovici Pii, anno 827. indictione 5. Aquiſgrani conceſſa, tria virorum Monaſteria in ſuburbanis Senonum memorantis; quæ *Cænobiales Cellæ ſub ſancta Regula*, id eſt Benedictina, nominantur; ſcilicet S. Petri, S. Joannis, & S. Remigii. Ex quo Diplomate mihi ad manum, hæc tantùm depromo.

„ [Quia vir venerabilis Hieremias S. Senonicæ Eccleſiæ Ar- „ chiepiſcopus humili ſuggeſtione Clementiæ noſtræ innotuit, „ eo quòd Cellæ Cœnobiales Epiſcopii, cui autore Deo præ- „ eſt, id eſt Cellæ S. Petri, & Cellæ S. Joannis, & Cellæ S. „ Remigii in quibus Monachi ſub ſanctæ Regulæ diſciplina re- „ ligioſam vitam divinæ pietati toto laboris adniſu debent ex- „ hibere, &c.] Reliqua Diplomatis nimis innuunt quo fato Monaſticus Cellæ S. Joannis ſtatus exciderit, & alterius Cellæ pro Monialibus ibidem poſitæ, ſub Anſegiſo anno 876. aliò migrare juſſis (niſi fuerit unicum Monaſterium, hinc viris, inde puellis commune, Baſilicâ mediâ, ut alibi viſum eſt) Tandem anno 1113. ſub Haimberto Præſule; & Stephano præpoſito, qui-

Digitized by Google

buſdam de Capitulo Senonenſi ſtrictiora meditantibus, & Clericis Regularibus S. Auguſtini tùm exortis Monaſticen profitentibus, pio fœdere adunatis, Cella illa ſub tutela Canonicorum Senonenſium conceſſa eſt: cujus Symmiſtas novis ad obſervantiam regularem ſtimulis ex inclita Cœnobitica domo S. Genovefæ Pariſienſis noſtris diebus excitatos eſſe gratulamur. De his iterum in Hieremia Senonenſi, infra num. 47.

Heraclius plenus annis & meritis & miraculorum magnificentia vivus & poſt mortem, quam in Domino pretioſam habuit, clarus, ſepultus fuit in illo ſancti Johannis puellari Cœnobio: quo poſtmodum in jus aut tutelam Senonenſis Eccleſiæ devoluto, in eamdem tranſlatus fuit, & argenteo reclinatorio reconditus.

17. S. PAULUS, prioris frater. Pari vitæ merito & ſignorum gloriâ Senonis inclaruit; apud quos apotheoſi donatus in eadem cum fratre capſa quieſcit. Ceſſit è vita anno 14. Childeberti filii Chlodovei, qui incidit in annum Chriſti 528. quamvis quidam poſtrema parentis fata tribus annis anteceſſiſſe putent, ut Sirmondus & ei mirificè pronus Philippus Labbeus.

18. S. LEO. Orbatum Preſbyterum adeſſe voluit vice ſui ſecundæ Synodo Aurelianenſi anno 533. aut 536. qui primus inter procuratores ſubſcripſit. Ipſe verò S. Pontifex Concilio III. in eadem urbe celebrato præſens fuit, & manu munivit anno 538. aut 541. ex varia lethalis anni Chlodovei ſnpputatione. Anno ſequenti 542. notatur in Chronico MS. obitus S. Benedicti quem alii ſequenti conſignant. Habetur apud Sammarthanos ex Cod. Corbeienſi Epiſtola Leonis Senonenſis ad Childebertum, quâ diſſuadet ne novus Meloduni Epiſcopalis thronus erigatur. Poſt mortem ſepultus fuit ad muros urbis in Eccleſia Monachali SS. Gervaſii & Prothaſii, in qua tot ſignis refulſit ob inſignem viri ſanctitatem, ut antiquata priori nuncupatione *ſancti Leonis* dicta ſit. Verùm exciſo propter viciniam urbis Monaſterio, Anſegiſus Archiepiſcopus & Primas, ſancti Petri Vivi Monachus, ſacrum ejus corpus eò tranſtulit, in cujus Vivianæ Baſilicæ Sacrario totâ Galliâ celeberrimo hactenus aſſervatur & colitur 22. Aprilis, qui dies ei ſacer in Martyrologio Romano.

Suſpicor Leonem obiiſſe inſtante Concilio IV. Aurelian. cui præſens fuiſſet aut per legatum; præſertim in cauſa Marci ſuffraganei ſui Aurelianenſis, quam in dicta Synodo agitatam fuiſſe (cui tamen ſubſcripſit idem Marcus) ſcribit Gregorius

Digitized by Google

Turonenſis in Vitis ſanctorum Patrum capite tertio.

19. CONSITUTUS. Subſcriptionem ejus, ut aliorum 70. Epiſcoporum præſentium, aut legatos mittentium habes in Concilio V. Aurelian. anni 549. aut 552. Interfuit etiam Pariſienſi II. in cauſa Saffaraci Pariſienſis Antiſtitis exautorati, anno circiter 555. demum anno 573. in Synodo Pariſienſi IV. Ipſo procurante Conſtituto Metropolitano cauſa Pappoli Carnotenſis Epiſcopi dijudicatur, & Promotus contra Canones ordinatus interdicitur: cui Synodali conſtitutioni & literis ad Sigebertum Regem nomine Synodi directis ſubſcribit Conſtitutus: creditur in Baſilica Viviana ſeu Monaſterio Vivi Senonenſi tumulatus cum aliis 42. Archiepiſcopis, *ubi mos eſt Archiepiſcopos ſepeliri* in Chronico MS.

20. S. ARTHEMIUS. Nondum ſacris initiatus legitime conjugatus fuit, & filiam habuit Euloſiam nomine, pudicitia & ceteris animi dotibus, quæ chriſtianam virginem decent, tanto parente dignam. Concilio primo Matiſconenſi tertius ſubſcribit anno 581. (Tavello 587. ex primigenia labe) & alteri apud eamdem civitatem anno 585. de quo apud eumdem Tavellum in Arthemio pag. 16. duplex erratum occurrit. Primum, quòd Arthemium Senonenſem huic Synodo dicat præfuiſſe, qui tantùm quintus in ordine legitur, primas tenente Priſco primæ Lugdunenſium Metropolita: alterum, quòd velit 41. tantùm Præſules conſediſſe, cùm præter Fronimium, Promotum & Fauſtianum præſentes, ſed tunc ſine ſedibus; & viginti Legatos abſentium, quadraginta tres alii ſeriatim recenſeantur, apud Binium ad fidem ſui codicis 62. numerantur. Hæc forſan exotica cenſebuntur. At cùm Tavellus pluribus, inter inſignes, Tabulariis fucum fecerit, præſtat non neſcire eum codices infidos conſuluiſſe. Nominatur item Arthemius, & ſecundo loco, in Concilio Meldenſi anni 845. repetitis in eo quæ patres Concilii Matiſconenſis I. Canone decimo-tertio contra Judæos edixerant. Hæc de eo notata voluit Breviarium Senonenſe nuperæ recognitionis anni 1641. in ejus feſto die 28. Aprilis:

» [Baldum Hiſpanum ingentis peccati reum & publicè pœni-
» tentem benignè ſuſcepit, ſicque per injunctam pœnitentiam
» purgavit, & piis monitis informavit, ut ad ſanctitatem mira-
» bilem brevi eum perduxerit. Denique dierum & meritorum
» plenus vitam bonam optima morte conſummavit; ejuſque cor-

pus in Monaſterio S. Petri Vivi honorificè ſepultum eſt] Fit « de eo feſtum duplex per totam Diœceſin. Reliqua videſis apud Sammarthanos, & Tavellum pag. 16. qui loquens de legatione Arthemii, Verani, & Agræcii, juſſu Guntranni ad Chlotarium ejus nepotem, occaſione cædis Pretextati Rotomagenſis Epiſcopi, ſcripſit imprudens Veranum Cathalaunenſem, pro Cabillonenſi qui ſic exprimitur à Gregorio Turon. cum aliis duobus. Arthemii meminit Ado Viennenſ. in Chronico. Et Robertus Antiſſiodor. pag. 65. Eccleſiam Senonenſem longo tempore prudentiſſimè rexit.

21. S. LUPUS. Poſt beatiſſimos Martyres Savinianum & Potentianum, quibus ſuæ ſedis encænia debet Eccleſia Senonenſis, ceteris ſuis Præſulibus hic eminet ſanctimoniâ morum & ſignorum magnificentiâ, jugique populorum accurſu ad ejus ſacrum corpus in cœnobitica S. Columbæ Senonenſi Baſilica. Plures plura de eo quæ hîc repetita nolumus. Et licet in omnium Tabulis & Eccleſiarum pulpitis vigeant ejus præconia, ſuis tamen laudibus ſemper major erit. Verum in honorem ſanctiſſimi viri non prætereunda videtur illa narratio & factum inſigne Chlotarii Regis à Baronio ad fontes Hiſtoriæ recenſitum ad annum 631. rei tamen geſtæ non ſynchronum. Mendacibus Farulfi ſuſurris & Madegeſili Remigiani Abbatis, Senonenſem cathedram ambientis, variis apud Regem accuſationibus poſtulatus; & ab eo exul in Neuſtriam actus, ſed detectis fraudibus tandem revocatus, ſic à Chlotario pœnitente exceptus fuit [Lætatur Rex « & proceres omnes tanti Antiſtitis præſentiâ; contemplatuſque « eum Rex, pietate flexus ad pedes ejus humi proſternitur, ve- « niamque ab illo deprecatur. Cernens verò eum afflictum, cor- « pus ejus macie confectum, caput intonſum, barbamque mini- « me raſam ob cumulandum abſtinentiæ rigorem, tremens & « ejulans Rex cum multo gemitu ejus miſeriæ ſe reum fatetur, « & ſancti viri delatoribus dira imprecatur, jubetque eum ho- « norificè tractari, comamque & barbam tonderi. Poſtquam au- « tem ſuus ei decor redditus eſt, ejus Clerum voluit Rex con- « vivio intereſſe. Ibi tum, Chriſto agente, repentinâ converſio- « ne cernere erat Regem ex perſecutore factum miniſtrum bea- « ti viri & ſuis manibus ei cibum porrigentem, qui anteà illi pe- « nuriam attulerat. Rurſus verò petens ſui facinoris veniam, à « ſancto Epiſcopo levatur è pulvere, multaque ei offert munera « Eccleſiæ uſibus profutura; atque ità demum jubet eum ad ſuam « Eccleſiam ſe recipere.]

Digitized by Google

Ejus meminerat Baronius ad annum 615. cujus tamen ordinationem quibuſdam annis præceſſiſſe certum eſt, tum ex Sigeberto ſic ſcribente : *Anno* 4. *Heraclii Imperatoris* (qui fuit Chriſti 613.) *qui cœpit regere Imperium Græcorum anno Domini* 613. (611.) *floruit S. Lupus Senonenſis Archiepiſc.* tùm quod anno 615. jam ſolus regnabat in Gallia Chlotarius, extinctis prius Theodorico Rege Burgundiæ anno 613. & anno ſequenti occiſo Sigeberto, & fratribus ejus fugatis : ante quorum excidium Senonis exercitum applicuerat Chlotarius, à ſanctiſſimo Pontifice ſigno campanæ territum & diſperſum. Eccleſiam Senonenſem bonorum ſuorum ſcripſit hæredem ex aſſe ; quo ampliſſimo proventu hactenus dives, grati animi vices ſingulis annis rependit publica ſupplicatione ad ejus ſacra lipſana ; eorum bajulatione intra civitatis mœnia, annua cereorum oblatione & totius Chori Metropolitani ſymphoniâ in Cœnobitico templo ad primum urbis lapidem, in cujus ſtillicidio humari voluit ad pedes ſanctæ virginis & martyris Columbæ, quam ut impensè coluerat vivus, ſepultus, humili funere, ei ſe magis adhuc clientem exhibuit : ut etiam S. Thomas Cantuariæ præſul & Martyr ad eam votivo exilio deportatus, & quadriennium ſacris ejus cineribus pronus ſub eis prurientes adhuc Martyrii flammas feliciter hauſit.

22. SENECIUS. Ei locum hunc tribuunt Sanmarthani fratres in *Gallia ſua Chriſtiana*, poſt Tabulas Vivianas ; in quarum una, quæ eſt Clarii (ex qua poſtea Gaufridus à Collone) ſic vetuſtis characteribus ſcriptum invenio ex libro cujuſdam Varnerii Scholaſtici miſſo ad dominum Gerbertum abbatem » S. Petri Vivi, qui floruit undecimo ſæculo, anno 1063. [Qui» dam volunt dicere quod tempore exilii ſancti Lupi iſte ſan» ctus Senecius regebat Eccleſiam Senonenſem : cujus rei non » poſſum certitudinem invenire ; nam ſcripta ſuper hoc non » concordant. Tamen Varnerius ſupradictus Scholaſticus de ip» ſo ſancto Senecio ita ſcribit : Inter alios quoſdam Archipræ» ſules Senonenſes Senecius quidam virtute prædicabilis fuit : » qui quibus ortus ſit, vel à quibus ad Archipræſulatum aſcen» derit, vel quo tempore non invenitur ſcriptum. Quo verò » loco obierit, quâqua revelatione poſt longa tempora, vel ejus » ſanctitatis quibus miraculis meritum populis innotuit, ſecun» dum acceptam ſententiam expedire oneroſum non erit. Pla» cuit ſiquidem eidem S. Senecio Romam adire ; & eundo Lug» dunum devenit, ubi à quodam Chorepiſcopo viro religioſo ſuſ» ceptus in villa quæ dicitur Tarinentum ab urbe Lugduno ferè

Digitized by Google

decem millibus. In qua villa infirmitate detentus, migravit «
à ſæculo. Chorepiſcopus verò illum Pontificali more veſtitum «
poſito ſepulchro inclinauit. Poſt longa tempora quia jam quis «
inibi jaceret ignorabatur; cuidam viduæ S. Senecius per ſeme- «
tipſum apparuit, & quis eſſet, & à quo ſuſceptus fuerat & ſe «
pultus, & quo loco requieſcebat ſigillatim expoſuit. Bona mu- «
lier non incredula patrem Duranoium Savignianenſis Cœno- «
bii, in quo Cœnobio erat ſepultus, adiit, & eamdem viſio- «
nem quam viderat de ſancto Pontifice enarravit. Tunc ibidem «
foderunt & S. Pontificis corpus invenerunt, ſaxumque quod «
glorioſa viri gleba poſterioribus preſſerat literis ſulcabatur, «
quibus omnis vitæ hiſtoria breviſſimè claudebatur. Odor etiam «
miræ ſuavitatis circum circà ſpargitur. Duo quoque cœci lu- «
mine reſtaurantur, & claudus greſſu reformatur. Fiunt verò «
inibi ſabbatis excubiæ, & populus multus adſtans in Chriſti «
honore luminibus corpori ſancti Senecii Senonenſis Archiepiſ- «
copi famulatur.]

Non potuit exulante Lupo hæc *Archiepiſcopi* nuncupatio Senecio concedi citrà injuriam præclariſſimi Præſulis: ſed Chorepiſcopi vices & munia potuit obire, quod paſſim occurrit in Conciliis. Nec patitur tempus verum ei Præſulatum aſſeri Lupum inter & ſucceſſorem in Faſtis Senonenſibus deſignatum. Ne tamen totus diſſentirem à C. VV. Sammarthanis & noſtris membranis, integrum mihi non fuit Antiſtitem à ſe accitum ex eorum Elencho diſpungere. Et ſi non nutet Varnerii narratio, potuit alio tempore Senonis ſediſſe, timidéque ſenſiſſe videntur Sammarthani.

Richerius. Huic numerum in hac ſerie non affigo; quamvis tutus ſit authoritate Sammarthanorum qui Tavelli ſilentium improbant, apud quem non invenitur, nec in Chronicis & membranis noſtris omnium vetuſtioribus, nec apud Odorannum, Clarium, Gaufridum Hyron, Robertum S. Mariani, Gaufridum à Collone, &c. Nec apud modernos Buretellum, Coquinum, Cotronium, &c. Certum eſt in Collectione Conciliorum legi Synodum Remenſem ſub Sonnatio ad annum 630. ſeu potius fragmentum Hiſtoriæ Flodoardi lib. 2. cap. 5. continens plurium Epiſcoporum nomina Remis congregatorum ſub Sonnatio, quos inter ſcribitur Richerius Senonenſis. Verùm reſpondeo 1°. ſi qua ſit fides Flodoardo in illorum Præſulum recenſione, quam ſanè lubricam mox videbimus; dici debet

Digitized by Google

iſtum Richerium fuiſſe tantum Coepiſcopi, vices agentem S. Lupi, fortè tum adhuc exulantis, qui poſt Senecium anno 623. pia morte defunctum ſubſtitutus fuerit Lupi Vicarius, & eo modo Sonnatianæ Synodo ſubſcripſerit, quo Orbatus pro Leone Senonenſi in Conc. II. Aurelianenſi, Germoaldus in Cabilonenſi anni 650. pro Audoberto Pariſienſi, & plures alii paſſim occurrentes in Conciliis. Tales ut plurimum erant Eccleſiarum Archidiaconi ex conſtituto Damaſi Papæ, ad quod alludit Robertus Antiſſiodorenſis pag. 56. mei Codicis : *Damaſus Papa decrevit ne quid contra Epiſcopos præſumant Archidiaconi, qui dicuntur etiam Coreſpicopi.* Ab aliis vocantur Coepiſcopi.

Reſpondeo 2°. congeriem illam Epiſcoporum ad Synodum Sonnatii convenientium, uti recenſentur à Flodoardo meram eſſe chronologiæ maculam. Ne lectori tædium pariat cenſura prolixior, unus inter alios teſtis ſit Auſpicius Æduenſis Epiſcopus qui ſubſcripſit cum Richerio. Qualis ſit de tempore hujus Concilii controverſia, quod quidam anno Chriſti 625. alii 630. conſignant, certum habet Sirmondus, ſcriptor eximius, celebratum fuiſſe tempore Dagoberti qui patri Chlotario II. ſucceſſit anno 628. & jam ab anno 622. Auſtraſiam regebat. Jejuna tamen videtur Sirmondi ratio quam ex ſola Ruſtici Cadurcenſis ſubſcriptione deſumit; ſiquidem plures aliæ vacillant in illa ſerie, & præſertim Auſpicii noſtri quem Æduenſes Tabulæ & alia antiquitatis monimenta longe ſuperiorem faciunt hujus Synodi Remenſis chronico charectere. Et ne quis fingat alium Auſpicium, ſed à matricula Præſulum Auguſtodunenſi m temerè diſtractum; non eſt diffitendum eumdem eſſe quem Gallia Chriſtiana indigitat ex Flodardo hujus Concilii patres recenſente. Sed quî fieri potuit ut Auſpicius iſte Epiſcopus Æduenſis inter quem primariò ſedentem & Siagrium, Gregorii Magni Papæ literis notiſſimum (ut ipſe notat C. Robert) ſederunt Auguſtoduni Lefaſtus, S Flavianus, & Odalricus, ſubſcripſerit Concilio anni 625. aut 630. cùm Syagrius jam ſederet & uſum pallii ambiret vivente Gregorio Magno, cujus obitus viginti ut minimum annis Sonnatii Synodum anteceſſit?

Certè mirandum quod tanti viri luce ſua meridiana clariſſimi Flodoardus, Sirmondus, Binius, C. Robert, doctiſſimi Sammarthani, Labbeus, Gabr. Coſſartius, & qui præceſſere aut ſubſecuti ſunt, hos chronologiæ nævos aut non viderint aut non abſterſerint. Quid igitur certi de Richerio Præſule Senonenſi

nenſi (quod vellent Sanmarthani ſtatui poſſet, ſi ipſa nutent hiſtoriæ fundamenta quibus deberet inniti?

Opponet contra meam de illius Vicariatu qualemcumque conjecturam, nullam hujus Vicariæ poteſtatis aut delegationis notam exhiberi, qualem cernimus in plurium delegatorum ſubſcriptionibus & ipſius Orbati, vice Leonis Senonici, &c. Dico Synodi hujus Sonnatianæ nullas legi ſyngraphas in Collectionibus Conciliormm, quarum intuitu diſcerni poſſint qui Præſules, qui Legati; ſed ſolam Flodoardi pericopen ſingulos temerè laudantem qui interfuêre, aut quos interfuiſſe bona fide putavit. Nam ut alios nullibi apud veteres inſcriptos taceam; laudat Childoaldum Abrincatenſem, Bertegeſilum Carnotenſem, Galonem Virdun. quos in Elenchis illarum Eccleſiarum non agnoſcit C. Robert, quin de Godone nobis aſſentit pag. 509. mei Codicis : *Hoc tempore florebat S. Godo qui à Flodoardo l. 2. c. 5. recenſetur tamquam Virdunenſis Epiſcopus in Synodo Remenſi habita circa annum Chriſti 634. fortaſſe quia vices Epiſcopi ſui obiret.* Par de Richerio mihi judicium, quod tamen eruditorum cenſuræ ſecus ſentientium ſubmitto.

23. MEDERIUS. In Chronico MS. & in Tabulis Chronologicis ei ſubparibus, Gofridi à Collone ante, anno 1352. ſcribentis, S. Lupo proximè ſubſtituitur S. Amatus, & poſt eum Mederius. De Amato gravis eſt chronologiæ lapſus (ut infra videbitur) ut Sammarthani doctiſſimi fratres, Severtius, & quidam alii in ſcientia temporum probè periti obſervarunt. In Chronico MS. S. Remigii Senonenſis ſic cenſet Cotronius: *Verior eſt eorum ſententia qui Mederium ſucceſſiſſe dicunt ſancto Lupo.* Nec tamen diuturnum fuiſſe præſulatum illius facile concedent qui de Hildegario ſucceſſore paria ſentient cum eruditiſſimo Mabillonio mox à me laudando, contra quem de chronicis notis vix ulla contentio. Legitur in ſchedis Vivianis & aliis mediæ ætatis Mederium condidiſſe in ſuburbano prædio, Cœnobium Monialium ſub invocatione ſancti Symphoriani ſub cura & regimine Monachorum Benedictin. ſancti Remigii Senonenſis, quibus ſub Anſegiſo propter bellorum incurſus ablegatis, illa Cœnobialis Eccleſia in parochialem tranſiit ab eodem Remigiano monaſterio dependentem. Nullo veterum teſtimonio ſtabilitam invenio cujuſdam Recentioris ſententiam, qui Lupum obiiſſe ſcribit anno 631. quamvis de eo quædam referat Baronius ad illum annum, ſed nullâ temporis notâ certò conſignatâ. Pro-

D

pius ad veritatem acceſſit Buretelli Chronicum eo loci qui Mederium anno 626. ſacram Symphoriani ædem conſtruxiſſe putat, & anno 631. obiiſſe, ibique ſepultum fuiſſe.

24. HILDEGARIUS. Nomine tenus antiquis rerum noſtrarum ſcientibus innotuit, ſed ei Mabillonius certam ſedis epocham conciliat ex inſtrumento fundationis Monaſterii Solemniacenſis à ſancto Eligio factæ anno decimo Dagoberti Regis qui in annum 631. æræ communis incidit. Refert illud integrum pag. 1032. Sæculi 2. Actorum Benedictin. ex Codice
» MS. Solemniacenſi his ſubſcriptionibus munitum [Facta ceſ-
» ſione ſub decimo die Calend. Decemb. anno decimo regni D.
» noſtri Dagoberti Regis feliciter. In Chriſti nomine Elegius
» ſervus ſervorum Dei, ceſſione à me facta Religioſis. In Dei
» nomine ego Adeodatus Epiſcopus *Matiſconenſis*, rogante homi-
» ne Dei, filio meo Domno Elegio hanc ceſſionem ſubſcripſi
» (*ordinavit presbyterum eumdem Eligium*) In Chriſti nomine
» Madegiſolus Epiſcop. *Turonenſis* ſubſcripſi. Chanoaldus Epiſc.
» *Laudunenſis* rogatus ab Elegio hanc ceſſionis ſuæ Chartulam
» ſubſcripſi: Maurinus, al. *Mauricius*, Epiſcopus *Bellovacenſis*
» rogatus ab Elegio hanc ceſſionis ſuæ Chartulam ſubſripſi:
» Deoremus, al. *Deotemius* peccator rogatus à ſupra ſcripto.
» ſubſcripſi: Salapius *Namnetenſis*, peccator rogatus à ſupra-
» ſcripto ſubſcripſi: In Chriſti nomine Lupus ac ſi indignus
» Epiſcopus *Lemovicinus*, rogatus hanc epiſtolam ſubſcripſi: Hil-
» degarius *Senonicus* peccator ſubſcripſi: Arogectualis Elegio
» pro teſtimonio ſubſcripſi: Gondoenus ſubſ. Chramnoaldus,
» Agorichius, Childerannio ſeu Baſo rogatus à ſupradicto fra-
» tre meo Elegio ſubſcripſi: Anſoaldus ſubſ. Dado rogatus à
» ſupra ſcripto; Rado rogatus a ſupra ſcripto; Prodobertus, *Ro-*
» *dibertus*, ſubſcripſi: Baſo, Babo, Vincentius minimus omnium
» Levitarum Chriſti rogatus à Filio Elegio hanc ceſſionis Char-
» tam ſcripſi & ſubſcripſi] Nondum ſacris initiatus erat S. Eligius cujus ordinatio contigit anno 646. Maii 14. anno tertio Chlodovei junioris.

Ne quis autem fidem inſtrumenti hujus ſuſpectam habeat ex confuſo permixtoque ſubſignantium ordine, quo Turonenſis Metropolitanus poſt Matiſconenſem, & Hildegarius Senonicæ provinciæ caput poſt plures alios ſimplices Epiſcopos ſubſcribunt; hîc pro rudioribus obiter annotandum antiquum morem, Eccleſiæ præſertim Gallicanæ, eum fuiſſe Metropolitanos inter &

Digitized by Google

alios Epiſcopos, ut prior ordinatus cum in conceſſibus tùm in ſubſcriptionibus ceteris anteiret, ut innuit Leo. I. epiſtola 89. & jugiter exhibent Concilia Affricana, ipſeque Juſtinianus in Lege 29. cap. de Epiſcopis, &c. ſed potiſſimùm ſacri Conventus Gallicani in quibus frequentius obſervabis plus modeſtiæ & humilitati patres detuliſſe quàm Gregorii primi cenſuræ ad Syagrium Eduenſem ſcribentis lib. 7. ep. 114. *Epiſcopi ſecundum ſuæ Ordinationis tempus, ſive ad conſidendum in Conciliis, ſive ad ſubſcribendum, vel in qualibet alia re ſua attendere loca decernimus; & ſuorum ſibi prærogativam ordinum vindicare.* Cæterùm Hildegarium ad annum Chriſti 640. ſediſſe volunt Chronicon MS. Buretellus, & alii; qui licet in Amato fœdè peccaverint Vivianæ Chronologiæ fontes non ſecuti; meliori tamen fato in aliis hujus ævi Pontificibus minus aberrarunt. Sepultus dicitur in Remigiano Senonenſi Cœnobio poſt ſeptem ſedis annos.

25. AURIPERTUS. Eum hac ſerie ſediſſe ſcribit vetus Chronicon MS. & Gaufridus à Collone, quibus conſentiunt recentiores Democharez, Petrus de Natalibus, Joan. Chenutius, Jacobus Severtius, Petrus Coquinus, Buretellus & Cotronius. Tavellus ipſe Senonicus omnia permiſcuit nullo tutus veræ chronologiæ monumento, cum Armentarium, Emmonem & Amatum docet ſupradictis præiviſſe; ſed quàm illicitè, ſequentia produnt. Eum viæ ducem ſequutus Cl. Robert pariter ceſpitavit cum Sammarthanis. In Chronico MS. obiit Aurипertus anno 647. ſepultus apud ſanctum Remigium.

26. ANNOBERTUS, al. AUNOBERTUS. Huic numerum ægrè appingo, nullibi apud antiquos Chronographos extanti, nec in Chronicis MSs. Vivianis quæ aliorum omnium ævum ſuperant; nec in Indice Gaufridi à Collone libro ſuo de ſacris reliquiis ſancti Petri Vivi præfixo; de quo ſilent etiam Auctores Galliæ Chriſtianæ doctiſſimi Robertus & Sanmarthani. A quibuſdam tamen infertur ut à Driotio & Cotronio opinantibus Annobertum illum Senonenſem Archiepiſcopum qui in Charta Cœnobii Foſſatenſis ſub Baboleno Abbate data *Pariſius Chlodoveo regnante quinto, indictione quoque quinta, die menſis Maii 15. ſub die iduum Maiarum*, ſubſcriptus legitur; Diplomati illi ſynchronum fuiſſe, qui niſi centum poſt annis cùm verus Aunobertus Senonis ſederet, ſubſcribere potuit, rogatus à Monachis pro ſuæ chartæ confirmatione, uti ſæpius uſurpatum fuiſſe tunc ætatis ab aliis Epiſcopis à conditi Diplomatis ævo.

Digitized by Google

longè diſparatis oſtendimus in Diſſertatione noſtra. Favet iſtud Cl. VV. Sammarthanis quibus in indice à ſe conſcripto Senonenſium Præſulum nullus alius occurrit quàm Honobertus ſeu Aunobertus, qui patrem in Epiſcopali cathedra præceſſit medio ſæculo octavo aut circiter, & de quo ad annum 750. eadem referunt de charta ſeu Donatione Foſſatenſibus factâ, quæ ſub Audoberto Pariſienſi centum ante annos contigiſſe jam ſcripſerant ad annum 650. alioqui grave piaculum viris in ſcientia temporum peritiſſimis objiceretur, ſi ætate pares facerent duos illos Aunobertos Senonenſem & Pariſienſem, qui centum integris annis à ſe diſtant, ſed Pariſienſis Chartam primus dedit, alter 100. poſt annos confirmavit. Præterea Auctor Vitæ Baboleni Foſſatenſis (nam quidam alii æquivoci) plura conſarcinavit in quibus nutat fides hiſtoriæ, & in ipſo Audoberto redargui poteſt ex Beda libr. 3. hiſt. Anglorum cap. 7. non alium tunc ætatis Pariſienſem Epiſpopum agnoſcente quàm Agilbertum, natione quidem Gallum, ſed apud Anglos diu verſatum. Adde quòd ſecundum veriorem epocham illud Diploma Chlodovei II. ſeu Charta Foſſatenſium anno illius 3. Indict. 4. ſeu Chriſti 647. conſignatur, aut ſaltem inſequenti, ſi ſtare velis Indictioni 5. ſuperius notatæ, quibus annis vivebat Senonis Auripertus, poſt quem Arnulphus; nuſquam Annobertus. At quædam condonanda volui Driotii eruditioni.

Dicent alii quod nos de Orbato, Senecio & Richerio Synodo Remenſi ſubſcribente ſub Sonnatio jam diximus, Coepiſcopum eum fuiſſe, aut ſub alio vices agentem. Vide quæ infra ad num. 36.

27. ARNULPHUS. Hac ſerie inducitur in noſtris membanis & apud recentioris ævi Tabularios. Ædificavit Senonis ad radices montis Paronii ſeu S. Baldi, juxta fluminis alveum, ſancti Medardi Cœnobium pro Monialibus, in quo ſepeliri voluit. Poſtea ſævientibus qui Neuſtriam incoluêre, ſacriſque virginibus aliò migrare juſſis, locus iſte ſenſim periit, ſola hactenus ſtante cruce lapidea, ad quam Primatiali Eccleſiæ cœtus votivis honoribus, & annua proceſſione ſiſtitur, ubi trina Medardi nominis invocatione ſancti Præſulis merita recoluntur.

28. ARMENTARIUS, al. ERMENTARIUS. Interfuit & ſyngrapham appoſuit Concilio Cabilonenſi anno 650. tempore Martini Papæ. I. & Chlodovei anno 7. & Chartæ Diony-

Digitized by Google

ſianæ (ex autographo viſo) anni 653. Item privilegio Landerici pro libertate ejuſdem Monaſterii anni 658. menſe Julio, Chlodovei anno 15. & conventui Clipiacenſi, ſequenti anno prope elapſo, pro confirmatione & Diplomate Regio ejuſdem privilegii. Quieſcit apud ſancti Remig. ſenonenſem. Vix ferenda plurium recentiorum in ordinanda ſerie pontificatus illius, tot chronicis notis illuſtris, allucinatio.

29. S. EMMO, al. ENNO, al. EMINO. Ejus meminit Beda lib. 4. Hiſt. Anglorum, cap. 1. ad annum 668. quo Senonis excepit & fouit Adrianum comitem Theodori Cantuarienſis Epiſcopi nominati, Roma in Angliam miſſum. In Cœnobio S. Petri Vivi Senonenſis fuit celeberrimus Aſceta, cui privilegium libertatis, & exemptionis indulſit ex conſenſu triginta & inſuper Epiſcoporum in Concilio Manſolaci habito anno 665. temporibus Chlotarii III. Regis, ejuſque matris Battechildis, qui fuit 4. ejuſdem Regis, indict. 8. de quo Concilio & privilegio Viviano loquuntur veteres chronographi Odorannus, Clarius, Gaufridus à Colone, Robertus Præmonſtratenſis, & Antiſſiodorenſis, ſive Hugo S. Mariani Myſta, & poſt eos plures moderni, necnon Cl. Robert & Sammarthani. Habetur etiam in editione Conc. general. Philippi Labbe tomo VI. & pag. 534. & 1878. & apud Mabilionum ſæcul. 3. Benedictino, qui privilegium illud & patrum ſubſcriptiones eruditè pro more delineavit. Eidem Synodo (quod omnes antiqui ambitioſè referunt) interfuere ſancti Faro Meldenſis, Audoenus Rotom. Amandus Trajectenſis, & Eligius Noviomenſis, qui eodem anno Calendis decembris è vivis exceſſit ; & ideo, inquit Mabillonius, privilegio non ſubſcripſit, qui paulo poſt illud conceſſum obiit, ſed ejus loco ſubſcripſit, Momolenus ſeu Mummolenus ejus ſucceſſor.

Singularis audit Cl. vir Petrus de la Lande qui huic concilio annum affigit 671 nullâ ductus probabili conjecturâ, quin fatetur privilegium non vidiſſe, quod putavit non extare. Sed Mabillonius integrum retulit cum ſubſcriptionibus, ex apographo Senioris ævi Bibliothecæ Vivianæ.

Pari beneficio & laudabili in obſervantiam regularem providentia idem prorſus privilegium ab iiſdem patribus ſubſcriptum conceſſit Emmo Monachis ſanctæ Columbæ Senonenſis, uti pariter referunt Sanmarthani cæterique, quod majori ſtudio & cautela, quàm apud pleroſque, integrum hactenus & tutum à juriſdictione Epiſcopali perſeverat, nec ingratiis. R. R. Præſulis Senonenſis.

Digitized by Google

Idem ſubſcripſit eodem tempore privilegio pari, ut Vivianis ac Columbinis Senonenſibus, pro Monachis S. Petri Corbeienſis; quod integrum habes cum ſubſcriptionibus tom. VI. editionis Conc. generalium anno 668. Vixit ad annum 670. vitæ ſanctimonia clarus & miraculorum famâ, uti teſtantur omnes qui ſupra, & inhumari voluit in ſuo S. Petri Vivi monaſterio in oratorio SS. Stephani & Benedicti, ubi hactenus requieſcit, & in ſacris Dypthycis nomen habet & celebritatem. Videſis quæ in Diſſertatione noſtra contra Johannem de Launoi ſcripſimus de Emmone & privilegio.

30. S. AMATUS. Hîc tandem ſuo ordine recenſendus poſt varias ſedes quas ei lubrica ſcribentium indoles temerè fixerat. Mabillonius qui ætatum omnium momenta pervidit, & ad ſeveriorem trutinam expendit, cùm de annis Vulfranni Senonenſis Archiepiſcopi ſerius perquirit, his paucis metam attigit pag. 363. partis I. ſui ſæculi Benedictini in ſcholio marginali, *Gerico dignitatem.* Sedis Senonenſis, *ceſſit Vulfrannus; eam enim tenuit S. Amatus ad annum prope* 675. Et in vetuſtioribus noſtris membranis eum per quinque annos pacificè ſediſſe Senonis obſervavimus.

Quid verò poſtea de celeberrimo pontifice contigerit, Hucbaldus Elnonenſis Monachus ſuis ſcriptis notis, & in Marcianenſi chronico lib. I. cap. 17. ſatis commendatus, paucis commemorat in vita S. Rictrudis Marcianenſis Abbatiſſæ quam anno 907. con-
„ ſcripſit [Beatus vir *Amatus*, electus & ſublimatus ad Epiſco-
„ patum urbis Sidunenſium, *Senonenſium*, eo tempore quo Theo-
„ doricus Rex iniquam exercebat tyrannidem, inſimulatus falsò
„ quaſi de infidelitate apud ipſum, in Perona Monaſterio ſito in
„ oppido Virmanduorum, cui ſanctus præerat Abbas Vltonus, ſu-
„ bire juſſus eſt exſilium. Deinde poſt exceſſum B. Vltoni traditus
„ eſt præfato Dei famulo Abbati Mauronto, ut enim cuſtodiæ man-
„ ciparet in ſuo qui Broïlus dicebatur Monaſterio, ab eodem nu-
„ perrimè conſtructo in territorio Letio vocato. Quo ſuſcepto, ut
„ ejus religioſam expertus eſt converſationem, ſicuti ſervando cœ-
„ leſti theſauro omnem omnibus vitæ ejus diebus famulandi ad-
„ hibuit diligentiam, habens in eo pulcherrimum ſuæ ſuorumque
„ confratrum vitæ & ſanctitatis ſpeculum.] Habes item ex Balderico Epiſcopo in chronico Cameracenſi lib. I. cap. 22. quod Amatus Perona per Maurontum deductus Cameracum in Ec-
„ cleſiam B. Mariæ orationis cauſa, [Solis radio pro ſervo uſus
„ eſt in eo Cappam ſuam deponens. Ambo Honnaticum deve-

Digitized by Google

„ niunt, quo in loco diutiſſimè commorantes non minimum pro-
„ fecerunt; relicto denique Hannatico Cœnobio ſacer Broïlum per-
„ ductus eſt. Ipſe verò juxta Baſilicam cellulam ſibi fabricari præ-
„ cepit, intra quam quandocumque opportunum erat ſeſe con-
„ tinens, vigiliis, orationibus, atque jejuniis inceſſanter corpus
„ fatigavit, uſque dum tam egregium militem Dominus de ter-
„ ris ad cœlos evocavit.] anno circiter, inquit Mabillonius 190. uti in libro argenteo Eccleſiæ collegiatæ S. Amati apud Duacum ubi ejus Reliquiæ aſſervantur; quem in locum è Menrivilla ſepulturæ loco, Broïlo antiquitus dicto, anno 870. illatæ ſunt, prout ex ipſo apographo docet Colvenerius in notis ad Balderici chronicon. Diem obitus colligere licet ex Codice Marcianenſi vitam S. Amati exhibente, in cujus fine legitur: *B. Amati tranſitum idibus Septembris ab anteceſſoribus determinatum, à Stephano quodam III. Kal. Majas affixum fuiſſe temerè, ut patebat ex vetuſtis libris qui apud S. Medardum & in Archivo Marcianenſi atque multorum ſcriniis cœnobiorum inveniuntur.* Quædam refert de Amato Varnerius ſcholaſticus in libro quem ſcripſit ad Gerbertum Abbatem S. Petri Vivi anno 1062. quæ vitæ ſanctimoniam & egregias animi dotes Amati mirè commendant.

31. LANDEBERTUS, al. LANDOBERCHTUS aut Lambertus proximè ſucceſſit S. Amato ſe cedere juſſo, & in Belgio, ſua tamen patria, exulanti. Memoratur in vita S. Vulfranni à Jona Fontanellenſi Monacho conſcripta, & ab Harduino qui ſæculo octavo vitas SS. Vandregesilli, Ansberti & Vulfranni in lucem edidit: *Succeſſit in ordine Epiſcopatus venerabili Lamberto Pontifici*, vitæ 2. cap. quamvis Hugo Atiſſiodorenſis ad S. Marianum Monachus Landeberto ſubjiciat Emmonem, Emmoni Vulfrannum, ſed perperam quod ſufficienter evincitur ex autographo Dionyſiano anni 679. & apud Mabillonium lib. 6. Rei Diplomaticæ, referentem ad fidem originalis à ſe viſi placitum Theodorici de Chramlino Epiſcopo Ebredunenſi, aliàs non noto, in Synodo publica depoſito; & facultate ei conceſſa res ſuas poſt degradationem retinendi: quod datum fuit Marlaci medio Septembri anno, quinto Regni ejus, ubi Epiſcopi & proceres juſſu Regis convenerant pro ſtatu Eccleſiæ vel confirmatione pacis ſancitæ poſt prœlium inter Theodoricum & Dagobertum pro finibus Regni diſcernendis initum eodem anno vel ſequenti. Inter Epiſcopos ſubſcripti leguntur Metropolitani quinque Geneſius Lugdunenſis, Blidramnus Viennenſis, Lan-

Digitized by Google

deberchtus Senonenſis, Ternifius ſeu Ternaſius Veſuntionenſis, & Chadunus, cujus ſedes non exprimitur. Pax autem illa ſtabiliri non potuit inter utrumque Regem, niſi ante annum 680. quo Dagobertus ſuorum manibus extinctus eſt. Ex quibus chronicis notis certum inferas characterem temporis, quo ſedebat Senonis Landebertus. Jacet in Cœnobio Vivi, in quo mos eſt Archiepiſcopos ſepeliri, ex chron. MS. Cœnobium Monialium Benedictinæ regulæ conſtruxerat ſub invocatione S. Mauritii ad pontem Icaunæ, qui urbi adjacet, ubi nunc parochialis Eccleſia : cujus parthenonis S. Avelina, quæ ibidem colitur, Abbatiſſa fuit

32. S. VULFRANNUS in vita S. Wandregeſilli num. 26. dicitur : *Sanctiſſimus præſul Senonum & prædicator gentis Freſionum*, qui Landeberto circa annum 690. ſucceſſiſſe dicitur, & ſubſcriptus legitur cum aliis undecim Epiſcopis placito Chlodovei III. pro donatione Villæ *Baldana*, in pago Belvacenſi, anno 693. cui inſtrumento autographo ſigillum adhuc adhæret. Quod ad ſedis annos & reliquum vitæ ſpectatæ, unus præ ceteris audiendus Mabillonius, cujus ſtupenda prorſus eruditio cum ſingulari modeſtia belle cohærens illud efficit apud omnes ut ei præ ceteris adhæreant : ſic ille in obſervationibus præviis ad vitam Wulfranni pag. 356. partis primæ ſæculi III. Bened. [Lantberto Senonenſi Epiſcopo ſucceſſit circiter annum. DCXC. poſt regiminis annos aliquot audita famâ S. Willibrordi apud Friſios rem Chriſtianam promoventis, iſtuc etiam ſe conferre propoſuit ; accedenſque Fontanellam Monaſticas veſtes ſuſcepit, & ſocios ab Hildeberto Abbate poſtulavit obtinuitque. Dein è Friſia Fontanellam reverſus Monaſticam profeſſionem firmavit, tumque *patenam* è pelago eductam unà cum *ſuo calice* aliiſque inſtrumentis ſacris Fontanellenſi Eccleſiæ largitus eſt. Friſiam repetiit non ſemel, ex qua tandem ſenio confectus ultimò Fontanellam ſe recepit poſt mortem Ratbodi, hoc eſt anno 719. ibique permanſit uſque ad obitum quem reponimus anno 720. ut infrà cum vitæ ejus Auctore pene ſynchrono, & codd. M.SS. S. Germani Pariſienſis & Gemeticenſis : tametſi eum Odorannus & Clarius rejiciunt in annum 741.] Favet Odoranno is qui poſtea Wulfranni vitam exſcripſit ; qui viginti & novem annos, aut circiter, Senonis eum præſediſſe putat, priuſquam in Friſia prædicaret. Verùm in vetuſtiori codice S. Petri Gemeticenſis (quòd cœnobium Fontanellenſi vicinum eſt) vacuum numeri hujus ſpatium recentior manus ſupplevit ; nec ſo-

la

la eſt interpolationis labes in illa Legenda ; moxque videbitur in Gerico ſive Goerico (quem Wulfrannus ſibi ſubſtitui curavit in Friſiam prope profecturus)· eum anno 696. munia Pontificis obiiſſe: licet Wulfrannus poſt ceſſionem confirmaſſe ſuo nomine legatur immunitatem Monaſterii S. Comlumbæ Senon. anno 678.

Plures S. Wulfranni meminêre , aliis ſatis oſcitanter tacentibus, ut Uſuardus in Martyrologio germanæ fidei ad 13. Kal. Aprilis. Odorannus, Clarius monachi ſancti Petri Vivi, Mathæus Weſtmon, Chronicon Malleacenſe, Petrus de Natalibus, Buretellus, Coquinus, Cotronius, &c. Nec hîc ſilendum cœnobium ſancti Vandregeſilli ſeu Fontanellenſe ordinis Benedictini fuiſſe tunc ætatis ſanctiſſimum Cleri Gallicani ſeminarium, ex quo plures ad ſuperiores Eccleſiæ prælaturas aſſumpti ; quos inter ipſe Wulfrannus Senonenſis, Ansbertus Rotomagenſis, Geneſius Lugdunenſis qui in placito Chlodovei III. ſupra recenſito ſubſcripſit cum Wulfranno , Erembertus Toloſanus , Landebertus item Lugdunenſis , Bainus Tervanenſis , Hugo Rotomagenſis, Lando Remenſis, Ravengerius Sagienſis, & alii inclitæ memoriæ præſules gallicani.

De ſacris ejus corporis reliquiis ingens olim diſputandi argumentum inter Fontanellenſes & Blandinienſes Cœnobitas, quibus acceſſere cives Abbavillæi in Pontivo, certi jam ab annis quingentis & inſuper conceſſione Monachorum ſancti Vvandregeſilli ſibi ſancti Vvlfranni corpus obtigiſſe repoſitum in inſigni Eccleſia collegiata ſub ejus nomine ſacra ; viſumque die 21. Maii anni 1662. ab Ill. Franciſco Faure Ambianorum præſule cum breviculis in ejus capſa repertis illius veritatis indicibus ; altero Richardi Epiſcopi anni 1205 ; altero Vvillelmi Comitis Pontivenſis ; quamvis ad annum uſque 1479. authentica non deſint teſtimonia Fontanellenſibus quæ ſibi certam aſſerant ſacri corporis præſentiam, frequentius tunc dierum è Fontanella Rotomagum & ad vicinas urbes metu peſtilentiæ delati. Inter ſimilia partium ſtudia lis plerumque dirimi ſolet, ſi quamdam cuique litigantium portionem contigiſſe vel dixeris aut indulſeris. Sacrilego Calviniſtarum œſtro lis illa cœnobitas inter periit , niſi quod Fontanellenſes ſancti caput nondum ſævientibus flammis ereptum , hactenus coram exhibent.

33. S. GERICUS, al. GOERICUS Comes Tornodorenſis in Cœnobio ſancti Petri Vivi Monachum profeſſus , ceſſione

Digitized by Google

Vulfranni ad Friſonum ſalutem properantis ad Senonenſes infu-
„ tas raptus eſt. Sic enim auctor vitæ Vulfranni [Opus prædica-
„ tionis per annos quinque infatigabiliter peregit : ad Fonta-
„ nellam Monaſterium ſæpius revertens, ubi & monachicum ad-
„ ſumpſerat habitum. In eadem denique prædicatione verbi Dei
„ occupatus, & in majori ſenectute jam poſitus (nam & pedum
„ dolore frequenter vexabatur) ordinato in Epiſcopatu Senoni-
„ cæ urbis Gerico venerando pontifice, ſeceſſit ad præfatum
„ Fontannellæ Monaſterium, ibique regularibus ſubditus diſci-
„ plinis coronam expectabat æternam] A Tavello dicitur *Vir ſanctitate & doctrina præfulgidus, multiſque prodigiis & miraculis glorioſus.* Nepotem ex fratre habuit ſanctum Ebbonem Monachum & Abbatem ſancti Petri Vivi, deinde Senon. Archiepiſcopum annis meritiſque gravem.

Vt plurium recentiorum parachroniſmis occuratur circa ætatem Gerici ſedentis, damus hîc certum temporis characterem ex authentico autographo inſtrumento in tabulario Dionyſiano aſſervato, quod datum fuit anno ſecundo ſeu tertio inchoante Regni Childeberti III. filii Theodorici, qui incidit in annum Chriſti 696. pluribus Epiſcopis ſinodaliter Captonaci congregatis, in quo conventu Agirardus Epiſcopus Carnotenſis firmari voluit privilegium à ſe datum pro Monaſterio ſanctæ Mariæ infra muros, oppidi Bleſenſis, ſecus Ligerim ſiti, quod Adrebertana mater Adeodati deceſſoris ſui condiderat. Hujus privilegii meminit nobilis ſcriptor Michaël Germain ſymmyſta Sangermanenſis ad Lutetiam, in libro quarto Rei Diplomaticæ, qui eſt de Regum noſtrorum Palatiis, ceteris quinque à Mabillonio doctiſſime ſcriptis inſerto, pag. 257. & integrum retulit idem Mabillonius in poſtremo libro pag. 479. cui primus omnium ſubſcribit Gericus poſt Agirardum : nec tacendum quod Tituli limbo ſubmittit his verbis roborandæ aut commendandæ chartæ conducentibus
„ [Inſigne hoc privilegium, inquit, quod prima ſui parte mu-
„ nitum eſt, nonus præfert B. Mariæ cœnobii in cujus gratiam
„ conceditur. At ſitum diſerte indicat in urbe quadam ad Lige-
„ rim, & quidem in Diœceſi Carnotenſi, qui ſitus vix alii conve-
„ nire poteſt quam oppido Bleſenſi ubi exſtat hactenus Abbatia
„ B. Mariæ de Burgi-medio, quæ eſt ordinis S. Auguſtini à pontifi-
„ catu Calliſti II. anno 1120. Crotrharius qui Monachis præfectus
„ eſt primus, videtur idem eſſe qui *Crotcharius Diaconus* laudatus
in præmiſſis duobus Diplomatibus Chlodovei III. haud dubie

Digitized by Google

Monachus Dionyſianus. Privilegio ſubſcribunt Epiſcopi cum «
ſignis in ſpecimine ſuo loco expreſſis. Agirardus, Goericus «
Senonenſis, Gripho Rotomagenſis, Anſebertus Auguſtodu- «
nenſis, Aigliberctus Cœnoman. Anſoaldus Pictavienſis, Soabe- «
ricus Aurelianenſis, Turnochaldus ſeu Turnoaldus Pariſienſis, «
Conſtantinus Bellovacenſis, &c. Chaino erat Abbas Dionyſia- «
nus.) Hæc Mabillonius qui lib. 5. p. 380. in tabella 21. ho- «
rum Epiſcoporum ſyngraphas ordine reſcenſet, iterumque Goe-
ricum Senonenſem Epiſcopum ſecundo loco. Hinc certa colligi-
tur ſeſſionis ejus ætas. Sepelitur in *Vivi* ſeu ſancti Petri Mo-
naſterio, ut veteres chronologi & recentiores cum Sammartha-
nis ſcribunt multiplici gratiarum & virtutum quæ præſulem de-
cent fœnore inſigniter auctus. Sed de quo poſſit illud dici;

Extinctum renovat majoris gloria prolis.

34. S. EBBO Comes Tornodori, Monachus & Abbas ſancti
Petri Vivi & præſul Senonenſis. Quàm vana ſcribentium fides
cùm ad rerum origines attendere nolunt! Vacillavit hactenus
ætas cathedræ ſanctiſſimi præſulis; ſed quidquid ſit de primo
ejus initio, jam ſedebat Senonis Ebbo ante annum tertium Theo-
dorici de Cala, qui cum anno æræ communis 722. cohæret,
quo, teſte Mabillon, & ad fidem chronici Fontanellenſis cap. 7.
à ſe citato pag. 647. partis primæ ſui ſæculi Benedictini, inter-
fuit cum aliis Epiſcopis & magnatibus conventui Tolpiacenſi.
Novem poſt annos illud mirandum accidit, quod in ejus vita
refertur de fugatis à ſe Saracenis urbem Senonas obſidenti-
bus; quem annum 731. conſignat Joannes Monachus Beſuenſis
in Chronico, Spicilegii Dacheriani tomo primo: *Tertia vice,* in-
quit, *devaſtatum eſt monaſterium à Saracenis, quando Auguſtidu-
num civitatem deſtruxerunt anno ab incarnatione Domini* 731.
mendosè in editis 831. Conſentit cum eo Rudericus Epiſcopus
Toletanus in Hiſt. Arabica cap. 13. ſic ſcribens ex relatu Ma-
billonii, qui ſupra [Cum enim Abdiramam Hiſpaniarum præ- «
fectus ipſo anno 631. Arelatum obſediſſet, ibique Francos de- «
viciſſet auxilio profectos, laxis ſecundæ victoriæ habenis, Fran «
corum regiones populabundus ingreditur, provinciam ſcili- «
cet ac Burgundiam & Senonas uſque victorem exercitum per- «
ducit. At divina vi per Ebbonem Archiepiſcopum repulſus pe «
dem referre coactus eſt.] Tres recenſentur eodem fere tempo-
re Saracenorum (quos alii Vandalos dicunt) in Galliam irru-
ptiones. Prima anno 628. ſecunda 631. tertia anno 637. utram

Digitized by Google

velis pro Ebbone, perinde eſt, qui necdum ab humanis abceſſerat. Quid igitur de Cl. V. V. Sanmarthanis dicendum qui inter Gericum & Ebbonem interponunt Actbertum ſive Otbertum quem ex epiſt. 5. Zachariæ Papæ ad Bonifacium Moguntinum non eos latuit Romam profectum ad eumdem pontificem & pro Senonenſibus cum pallio conſecratum anno 744. Indict. 12. Quid de Cl. Robert qui Ebbonem obiiſſe ſcribit anno 750 poſt quem tres immediatè recenſet ante Actbertum, Honobertum ſcilicet, Honulphum & Menulphum; & quod mireris, eumdem Actbertum vult interfuiſſe ſynodo Liptinenſi in Hannonia anno 743; ſed ad Ebbonem redeat calamus.

Aulæ Tornodorenſis delicias pertæſus, in ætate jam adulta Monaſterium ſancti Petri Vivi obſervantiæ regularis fama & lycæo literarum omnium, quę in eo publicè docebantur, notiſſimum adiit; & ſub Aigileno Abbate viro ſanctiſſimo, Monachum profeſſus eſt; vitęque clauſtralis ſocium & ſimmyſtam habuit ſanctum Paternum qui paulò poſt martyr occubuit apud Sergineam villam in tractu ſenonenſi, & de quo celebris memoria in Faſtis Eccleſiæ Romanæ & Senonenſis idibus Novembris; quem etiam cum cleri Metropolitani proceſſione propriis manibus ſepelivit, & ſacro titulo decoravit ſumptibus Triſulphi, cui Martyr lumen reddiderat. Quo tempore Barbaris, ut ſupra, urbis ſuburbana vaſtantibus, irruptione per eum & cives factâ fugatis; vitæ item ſanctimoniâ & paſtoralibus muniis inſigniter clarus, boni paſtoris partes implevit: tum vitæ ſanctioris deſiderio tractus, ſolitudinem ad Acceam villam incoluit; ex qua ſingulis Dominicis gregi redditus, ſynaxes in Eccleſia majori agebat; anniſque tandem & meritis gravis, comitante ſignorum magnificentia quę vivus & mortuus affatim edidit, ſibi nomen apud omnes, & in Eccleſia divinos honores promeruit, ſepultus in Viviano Monaſterio (in quo Monaſticen juraverat) in Oratorio B. Virginis Deiparæ; pone quem etiam inhumatæ fuerunt duæ ejus ſorores Ingoara & Leotheria, quæ B. Virginis Theodechildis filiæ Chlodovei primi Francorum Chriſtianiſſimi Regis, in eodem cœnobio ad alteram Eccleſiæ partem pro ſacris Deo puellis diſparato, exemplum ſecutę, parem cum fratre in Eccleſia Gallicana apotheoſin obtinuêre.

Celebris eſt Ebbonis memoria in Diœceſi Senonenſi 27. Auguſti: major apud Vivianos; & ejus meminêre cum ſingulari laudum encomio quotquot veteres inter & modernos in deli-

Digitized by Google

neandis Eccleſiarum Faſtis & tabulis operam navavère. Ejus etiam præter alios meminêre Trithemius lib. 4. cap. 192. de Viris illuſtribus ord. S. Bened. Demochares de Sacrif. Miſſæ cap. 17. Yepeſius in Chronicis ad an. 745.

35. ARTBERTUS, al. ARDOBERTUS. Hic nulla Cleri & populi Senonenſis electione, ut partium, ad Infulas pudendo ambitu concurrentium, ſtudia peſſum irent; ſed Zachariæ Papæ ſuprema autoritate, Bonifacii Epiſcopi Moguntini ſuggeſtione ſincerâ moniti delectus fuit nobiliſſimæ Sedis Pontifex, ut habetur in Epiſt. 5. &c. ejuſdem Papæ ad eumdem Bonifacium; cui etiam Pallii decora conceſſit, ut Abeli Remorum, & Grimoni Rotomagenſium Epiſcopis; anno 744. Indict. duodecima, & Romæ cum ſumma Cleri populique gratulatione excepit cohoneſtatum legationibus ejuſdem Bonifacii, & Pipini atque Karlomanni. Illud item ſuæ ſedis tantique præſulis meritis datum, ut patres Concilii Sueſſionenſis eodem anno coacti eum cum Abele conſtituerent, ad quos ceterorum Epiſcoporum pro difficilibus Eccleſiarum negotiis, quæ tùm urgebant, vota convolarent; maxime propter hæreſim Adalberti, *quem publicitus*, inquiunt patres, una cum Prælatis, *una voce condemnaverunt* 23. *Epiſcopi & alii multi Sacerdotes cum conſenſu Principis & populi ita condemnaverunt ipſum Adalbertum, ut amplius populus per falſos Sacerdotes deceptus non pereat.* Sic autem ejuſdem Concilii canon aut caput III. in favorem Actberti Senonenſis, ſub nomine Pipini Majoris-domûs & Francorum Principis.

[Idcirco conſtituimus per Concilium Sacerdotum & optimatum eorum, & ordinavimus per civitates legitimos Epiſcopos; & idcircò conſtituimus ſuper eos Archiepiſcopos Abel & Ardobertum ut ad judicia eorum de omni neceſſitate Eccleſiaſtica recurrant tam Epiſcopi quàm alius populus, ut ordo Monachorum vel ancillarum Dei ſecundùm regulam ſanctam ſtabilis permaneat.] Hæc anno prædicto 744. ſub Childerico poſtremo Merovingorum Rege, qui poſt aliquot annorũ interregnum quibus rerum potiebatur Carolus Martellus illo mortuo Rex tandem à filiis renuntiatus eſt, ut eruditè monet Sirmõdus, qui addit Abel & Ardobertum, *alterum Rhemorum, alterum Senonum, ut eſt in Epiſt. V. Zachariæ ad Bonifacium; ubi poſterior Artbertus appellatur.* In Chronico MS. & apud Gaufridum à Collone notatur *Romam ad ſocietatem Cardinalium tranſlatum eſſe, ut alibi ſcribitur.*

36. S. AUNOBERTUS, al. HONOBERTUS, ex

inclyta Tornodorenſium Comitum familia, ut Ss. Gericus, & Ebbo. Genuinum ei temporis characterem figunt Sanctamarthani ad annum 750. diſpunctis Tavelli parachroniſmis ob quos tandem vapulat apud peritos; ſed vix indulgendus Fratrum illi celeberrimo pari alius error, niſi medicam, ut dictum ſuperius, manum adhibeas. In Elencho Pariſienſium Antiſtitum, in *Audoberto*, cui annum 650. conſignant, notant eum interfuiſſe donationi de fiſco Britonnico factæ Foſſatenſibus Monachis ſub Baboleno, & in Aunoberto Senonenſi cui figunt epocham anni 750. integro ſæculo poſteriorem, eadem obſervant de eadem donatione, cui manum dedit Senonenſis Aunobertus ut obſidem veritatis eodem anno. Certiſſimum eſt omnes Prælatorum ſubſcriptiones eidem authenticæ Chartæ adhibitas, non eſſe ejuſdem anni; ſed quid ad firmandam Aunoberti ſedis chronologiam, eum Foſſatenſi inſtrumento ſubſcripſiſſe centum poſt annos, monuiſſe Lectorem? Nec de ſola ſubſcriptione loquuntur doctiſſimi Fratres, ſed eum cum Aunoberto Pariſienſi præſentem fuiſſe, disertè fatentur; quod quàm incommodum lector advertit. Recole quæ ſuprà ad num. 26. diximus de altero Aunoberto hîc intruſo, & gratis conceſſo. Non ſilendum hîc nec citrà ſtuporem, virum integræ famæ Johan. Bapt. Driot Senonenſem Canonicum, qui librum de primatu ſuæ Metropoleos edidit anno 1657. Aunobertum hunc fixiſſe ad annum 650. & 658. & præſentem putaviſſe cuidam Concilio Cabillonenſi intra decennium illud aut circiter, ut retur, celebrato; ſeque legiſſe illud anno 677. conſignatum cum ſyngrapha Aunoberti: ſed ubinam gentium felix illa Eccleſiaſtici proventus portio deliteſcit? Scio hactenus controverſum quo æræ chriſtianæ ſæculo habita ſit Synodus Cabillonenſis, quæ à me tertia, ab aliis prima, ſed perperam numeratur; num anno 650. vel cum Driotio 657. pejus cum aliis poſt annum 658? Characterem hujus Concilii præ ſe fert Actorum initium, & ante 15. annum Chlodovei II. Chriſti 658. reponi debere indicat qui per Vicarium ſubſcripſit Audobertus Pariſinus Antiſtes; cùm dicto anno jam ſederet Landericus ejus ſucceſſor, qui Dionyſianum privilegium, integra temporis famâ notatum ad illum annum procuravit. At pace Driotii dixerim, non Aunobertus, ſed Armentarius Senonenſis Archiep. interfuiſſe legitur, & quartus in ordine ſubſcripſiſſe. Quî recentiorum & veterum oculos fugit Driotianum illud Concilium, & de eo tam pertinax apud omnes ſilentium? Quin

nullam de eo vel minimam pericopen citat, niſi nomen Aunoberti & indubitatam, ut putat, temporis notam. Opponit Driotius ſubſcriptionem Aunoberti anno 657. pro citato privilegio ſeu donatione Foſſatenſi; ſed figmentum iſtud, aut de ſubſcriptione centum poſt annos ſuperaddita intelligendum, ut paucis advertimus ad ſuperiorem numerum 26.

37. S. HONULPHUS, pater ſancti Aunoberti ſui deceſſoris, legitimo thoro prius quàm aſſumeretur; de quo hîc notandum quod in Chr. MS. & apud Gaufridum à Collone ceteroſque tabularios obſervatur: ſic enim Gaufridus tabulâ 18. [Sanctus Honobertus confeſſor, filius ſui ſucceſſoris ſancti videlicet Honulphi confeſſoris filius fuit. Adhuc vivebat uxor S. Honulphi mater ſancti Honoberti, dum idem Honobertus ſumpſit ſacerdotium, & cathedram Senonenſem. Qua defunctâ in ſancta converſatione, Honulphus ad ſacros ordines per filium promovetur. Defuncto ſancto Honoberto confeſſore, pater ſuus condigna electione electus fuit, & Archipræſulatum ſuſcepit Eccleſiæ Senonenſis.] Uterque pater & filius ſepulturæ traditi ſunt apud ſanctum Petrum Vivum, ut poſt omnes alios ſcribunt etiam Sanmarthani: de quibus Feſtum agit ſub ritu duplici Eccleſia Senonenſis & Viviana quintâ Januarii.

Res ab eis geſtas, & à quibuſdam eorum ſucceſſoribus hîc proxime recenſendis ſi quis miretur nullâ Majorum aut certè jejuna memoriâ exceptas fuiſſe, hanc retulit cauſam vetus Chron. MS. & poſtmodum Gaufridus à Collone eadem tabulâ 18. [Quia illis temporibus contemplativè vivebant, & minima mentio ob humilitatem ipſorum de ipſis erat. Eccleſia in temporalibus per præpoſitos Canonicorum his diebus gubernabatur uſque ad tempus Ludovici Pii, filii Karoli magni Regis Francorum & Imperatoris Romanorum. Et ſcribitur quod illo tempore major ſuperbia & elatio erat in ſubditis quàm in Prælatis, & Karolus magnus ſuperbiam in quantum potuit, minoravit.]

MERULFUS, al. MENULPHUS. Rexit circa annum 762. *Ad aliam Eccleſiam transfertur, ut ſcribitur alibi*, inquit Chronic. MS.

38. LUPUS II. Attiniaci conventus fuit plurium Epiſcoporum ſub Pipino Rege anno ejus XIV. Chriſti 765. ut habet Regino Abbas in chronico, & Labbeus in editione Conciliorum generalium tomo 6. pag. 1702. ex ſchedis C. V. Lucæ

Digitized by Google

Holſtenii Roma Lutetiam tranſmiſſis : in cujus ſubſcriptione quarta : *Lupus Epiſcopus civitatis Senonis.* Subſcribit etiam poſt 27. Epiſcopos, & quoſdam Abbates de Francia Abbas S. Columbæ Senonenſis Vidradus : *Vuidradus Abbas de ſancta Columba.* Et notandum hujus Concilii decretum pro refrigerio ani-
» marum hînc exeuntium, quod ſic habet. [Nomina Epiſco-
» porum ſeu Abbatum qui apud Villam Attiniacum pro cauſa
» religionis ac ſalute animarum congregati Synodali conventu
» inter cætera ſalubriter ſapienterque definita, hoc quoque
» communi cunctorum decreto ſtatuerunt : ut unuſquiſque illo-
» rum quorum nomina in hoc indiculo ſubterſcripta reperiun-
» tur, quando quiſlibet de hoc ſæculo migraverit centum pſalte-
» ria, & preſbyteri ejus ſpeciales miſſas centum cantent. Ipſe
» autem Epiſcopus per ſe 30. miſſas impleat, niſi infirmitate aut
» aliquo impedimento prohibeatur : tunc roget alterum Epiſco-
» pum pro ſe cantare. Abbates verò qui non ſunt Epiſcopi, ro-
» gent Epiſcopos ut vice illorum ipſas 30. miſſas expleant : &
» preſbyteri eorum centum miſſas ; & monachi centum pſalte-
» ria pſallere meminerint.] Remos tranſlatum fuiſſe Lupum fabula eſt non hiſtoria.

39. WILLICARIUS. Sedebat anno Chriſti 769. Regis verò Caroli Magni primo, quo Stephanus III. Papa, qui Hadrianum I. immediatè præceſſit, Romæ concilium habuit in Baſilica Conſtantiniana adverſus Conſtantinum S. A. invaſorem, & pro cultu ſacrarum imaginum ; ad quod conſenſu Caroli & Carlomanni fratrum evocavit duodecim Epiſcopos Franciæ (miſſo in Galliam Sergio Secundicerio & nomenclatore) quorum primus recenſetur Willicarius Senonenſis, Lullus Moguntinus, Gavienus Turonenſis, Addo Lugdunenſis, Herminordus Bituricenſis, Daniel Narbonenſis, Tilpinus Remenſis, Herulfus Lingonenſis : Herembertus, Badulfus, Giſelbertus & Joſeph, quorum quatuor ſedes non apertè deſignantur ; *Nimis divinis Scripturis* inquit Anaſtaſius in vita Sephani III. *& ſanctorum Canonum ceremoniis doctos & probatiſſimos viros* direxerunt Romam Carolus & Carolomannus germani fratres. Non diu poſt concilium illud Romanum ad ſuos redditus Vuillicarius obiit, in Baſilica Vivi, more majorum ſepultus. In veteri chron. Viviano ſcribitur quod Româ rediens Senonas obtinuit ab Abbate S. Mauritii Agaunenſi corpus S. Victoris martyris quod poſt varias ſedes Sevinus tandem reſtituit majori Baſilicæ Senonenſi.

4. GO-

Digitized by Google

40. GOTESCALCUS. In Chron. MS. obiiſſe dicitur anno 673. Jacet in monaſterio ſancti Petri Vivi.

41. S. GUMBERTUS, al. GUNDELBERTUS. Præſtat adhærere potius veteribus Vivianæ Baſilicæ Faſtis & recentiorum, maxime Sanmarthanorum indicibus qui antiquiores ſchedas conſuluêre; chronico item ſancti Mariani Autiſſiodorenſis in quo Gumbertus Goteſcalco ſupponitur; quam doctiſſ. Mabillonii conjecturis in Obſervat. præviis ad vitam hujus Gumberti ſive Gundelberti, parte ſecunda ſui Sæculi III. Benedictini pag. 468. ubi de ejus ætate anxius & varius inquirit, & allatis in utramque partem temporum momentis ſive pro Gumberto ſive pro Deodato (quos coævos & amicos facit) ſincerè perplexus hæc ait: *Hos nodos ſolvat qui poteſt.* Mirum quod velit Gumbertum præceſſiſſe præſulatum Emmonis, quem tamen ad annum 665. ſediſſe conſtanter aſſeruit, & eodem anno concilio Senonenſi (ſive apud Manſolacum) celebrato pro libertate monaſterii ſancti Petri Vivi cum 33. Epiſcopis interfuiſſe, ut ſuperius annotatum ex ipſius Synodi vero charactere à ſe probato. Immò ſuprà citatus, ſtatim refert Richerium Chronographum Cœnobii Senonenſis (cujus conditor ipſe Gumbertus) aſſerentem eum, *ſed mendoſe*, Eccleſiam Senonenſem rexiſſe anno 720. hoc eſt 60. aut circiter annis poſt obitum Emmonis. Præterea Deodatum illum Gumberti amicum, coætaneum dicit Hidulpho Trevirenſi Epiſcopo, quem ſub Pippino jam Rege Treveris præfuiſſe docent Annales Mettenſes tum editi tùm MSS. à Brouvero relati. At Pipinus Rex diem obiit, ex ejuſdem Mabillonii chronologico cenſu, anno 768. à quo ad certam Emmonis ætatem centum plus minus anni numerantur, cui tamen Gumbertum præiviſſe contendit.

Nec meminit egregius ſcriptor ex illo chronologico ſyſtemate non poſſe niſi violenter intrudi Gumbertum inter Armentarium qui anno 659. adfuit & ſubſcripſit conventui Clipiacenſi ut ſupra, & Emmonem, quem ipſe Concilio Senonenſi anni 665. præſidentem agnoſcit; & quas ambas Synodos habet Labbeus in editione Concil. generalium. Quod autem Mabillonius certum habeat Gumbertum, Deodatum & Hidulfum qui ſimul ſolitudinem montis Voſagi ſeu Vallis Galileæ monaſterium incoluêre, produnt ejus ipſiſſima verba pag. citata 468. *Cum tamen Gundelbertum Emmone ſuperiorem fuiſſe quædam exigant argumenta, petita tùm ex ætate Deodati ac Hidulphi quibus compar extitit Gundel-*

Hæc & alia Richerius, qui tamen notat Gumbertum ibidem non obiiſſe, nec ſepultum fuiſſe : ſed ad fidem aliorum, in Monaſterio forſan Medii vici. Hactenus extat ejus ſancti Petri Senonenſe Cœnobium inſigni Monachorum Congregationis ſancti Vitoni ſodalitio decoratum : cujus, ut Gumberti, meminit ſanctus Petrus Damiani Opuſculo 19. [Quid referam « Gundelbertum, præclariſſimum videlicet Archiepiſc. Senonum ? Hic plane cæleſti deſiderio æſtuans, commiſſam dimiſit « Eccleſiam, & in loco qui Grandiavium dicitur, Cœnobium « Senonenſe conſtruxit, quod ſcilicet ex relictæ Eccleſiæ vocabulo denominavit.] Dixiſſet ſanctus ille Cardinalis has ſuo « Monaſterio ſancti Petri Vivi grati animi vices rependiſſe, in quo etiam inhumatum fuiſſe perhibet unum ex quinque Chronicis noſtris MSS. quæ mihi ad manum in Muſæo noſtro.

De ſanctitate Gumberti nemo unquam anceps fuit. Vetus Martyrol. Benedictinum pag. 17. *In Monte Voſego beati Gumberti Archiep. Senonenſis qui relicto Epiſcopatu Monaſterium Senonenſe de nomine ſui Epiſcopatus in eodem monte ædificavit.* Chronicon vetus ſancti Petri Vivi Tabulam 19. ejus nomine ſic inſcribit : *ſanctus Gumbertus Senonenſis Archiepiſcopus.* Tavellus, cui ſuperiora non patuerunt, hæc in pag. 27. *De Gumberto nihil legimus, niſi quod ſanctitatem ejus omnes prædicant.* Gaufridus à Collone fol. 71. verſo : *Vir juſtus laudabilis & honeſtus, illo tempore (775.) virtutibus reſplendebat fulgens miraculis & exemplis.* Chronicon Monachi Præmonſtratenſis: *Vir digniſſime vitæ.* In Chronico Buretelli fol. 112. hæc inſuper obſervantur [Cum « Carolus magnus Rex Francorum precibus nec muneribus ferocitatem flectere valeret Deſiderii Longobardorum Regis, qui « contra Eccleſiam Romanam inſurrexerat, Concilium congregavit videlicet Ducum, Principum, & aliorum fortiſſimorum « virorum, necnon Epiſcoporum & Abbatum ; in quorum numero fuerunt Gumbertus Senonenſis Archiepiſcopus & Berthematus Abbas ſancti Petri Vivi] Conſentit Chronologia « Viviani Monaſterii cum Gaufrido fol. 71. & 804. tum additur: *Tandem Gumbertus amicus Dei, clarus miraculis obiit anno ſui Pontificatus ſeptimo, & in Monaſterio ſancti Petri ſepelitur conlachrymantibus civibus.* Nolim temerè definire cum hoc Chronographo in Cœnobio ſancti Petri Vivi tumulatum fuiſſe Gumbertum, qui tam religioſe patriam ejuraverat : ſed nec Cotronio noſtro concedendum citra ſcrupulum, ſepultum fuiſſe in Seno-

Digitized by Google

ſervatione, quæ ab eo in dei honorem conſtructa eſſe noſcuntur, ſecundùm datam tibi à Domino gratiam hæres digniſſimus exſtitiſti. Quibus etiam patet Præſulem hunc Senonicum & gentilitio ſolo & generis propinquitate Vvillibrordum attigiſſe. Et notum eſt ex hiſtoria Senonenſi plures ex Belgica Gallia præſertim inferiori, & ex Benedictinorum familiis ad illius Metropoleos infulas evocatos eſſe; quorum plerique ex Anglia transfretantes in Belgium Chriſti fidem induxerant. Joannes Berthelius Abbas Efternacenſis in Indice Abbatum illius Cœnobii & Gabriel Bucelinus Berardum hunc tertio loco numerant inter Abbates illos, eumque Senonenſem Archiepiſcopum fuiſſe, & anno 796. vita functum aſſeverant, ſanctique Villehaldi conſanguineum fuiſſe, & in Baſilica S. Petri Vivi, in qua pridem more prædeceſſorum primùm inſtallatus fuerat, ſepulturam habuit.

45. RAIMBERTUS, al. RENOBERTUS. Anno tertio Leonis III. Papæ conſecratus fuit, ſed diutina non fuit ejus Seſſio; *Cujus tempore* inquit Chronicon vetus, & poſt illud Gaufridus à Collone, *obiit Berthemarus vir religioſus, Abbas ſancti Petri Vivi; & Domnus Frodebertus vir laudabilis eligitur & à Domino Raimberto cum benedictione confirmatur.* Et ibidem & apud alios ſcribitur quod apud S. Petrum Vivum humatur. In Chron. MS. [Hujus conſilio & precibus Aſpaſia nobilis matrona Senonenſis duo Monialium fundavit Monaſteria; alterum ſub nomine S. Hilarii Pictavienſis Epiſcopi; alterum in honorem ſancti Maximini Trevirenſis infra muros civitatis: in quibus per longa tempora ſanctitas & religio floruit; ſed temporis lapſu ac bellorum ſupervenientium injuriis utrumque dirutum eſt, ac in Eccleſias parochiales redactum.] Quo item ſedente Raimberto, pergit Chronicon [Multum dilexit (Carolus Magnus) ſacroſanctam Eccleſiam Senonenſem, multa eidem contulit, & ſepulchra Martyrum in Senonica urbe & propè libentiſſimè frequentavit]

46. S. MAGNUS, al. MAGNO. Illuſtris eſt hujus Præſulis memoria in epiſtola quam ei ſcripſit Ludovicus Pius Imperator, quæ legitur apud Sirmondum tomo 2. Conc. Galliæ: *Dignum quippe eſt ut quantò ſublimius Sacerdotii dignitate ſuperemines, & à nobis venerabiliter diligeris; tantò magis ad Dei noſtramque voluntatem faciendam devotiorem te atque promtiorem exhibeas*, & in Appendice prima ad Formulas Marculfi num. 12. veris notis Chronicis conſignato; ſed in exem-

plar corruptum incidit primus Auctor *Galliæ Chriſtianæ*, qui octo annis aberrat à vera ſupputatione annorum Imperii Caroli Magni, & ſedis menſtruæ Ebroini Bituricenſis Epiſcopi, qui 30. tantum diebus ſedit anno Chriſti 810. quo ſcripſit Magno ſeu Magnoni Senonum Antiſtiti in hunc modum: ***Sancto & Deo amabili Magnoni, dono Dei Archiepiſcopo ex Senonica urbe. Ego enim in Dei nomine Ebroinus dono Dei Archiepiſcopus ex Biturige urbe, in Domino Ieſu ſalutes optamus vobis in perpetuum, &c.*** Et in fine Epiſtolæ, ſeu Literæ commendatitiæ. ***Actum in anno decimi Imperii domni noſtri Caroli & anno 43. regni ejus in Dei nomine feliciter. Amen.*** Ut apud doctiſſ. Sirmondum. Et quod mireris de Auctore illo *Galliæ Chriſtianæ*, cætera præſtantiſſimo; Ebroinum illum quem putat ſcripſiſſe Magno anno 2 Imperii Caroli M. (ut in ſerie Præſulum Senon. n. 46. videre licet) ſupponit B. Stephano quem in Bituricenſi ſolio ſedentem ſcribit anno 835. & in conventu apud Theodonis villam eodem anno, & ſequenti in Aquiſgranenſi, cùm Ludovicus Pius reſtitutus eſt, ſententiam dixiſſe. Noxam hanc ab erudito viro repetitam non facilè condonabunt in ſcientia temporum periti. Quæ de Magno convaſant alii, huc accita nolumus: ſed non ſilendum quod ad oram ſuburbii ſeu Burgi ſancti Petri Vivi, quod olim ad primum ab urbe lapidem protendebatur, Canonicorum primarii cætus providens ſepulturæ, (quo tempore intrà urbium pomæria vetitum inhumari) à Frodoberto Vivi Abbate, de conſenſu Monachorum obtinuit quædam terræ jugera in acclivi ſita, Eccleſiæ & cœmiterio conſtruendis, apta ubi ſepeliri voluit, omneſque Templi majoris ſymmyſtas. A cæde primi Præſulis Saviniani, ad tempora Concilii Lateran. ſub Innocentio III. omnes ferè Senonum Archiepiſcopi cùm in arenariis Cryptis, tùm in ſacris receſſibus Baſilicæ ſancti Petri Vivi ſepeliebantur. Canonici S. Stephani in illo vicino colle Viviano juxta Eccleſiam Chriſto Salvatori & ſub ejus nuncupatione nominis, ut hactenus, à Magno poſitam; & optimates urbis ad externum & vicinum illius pomœrium: ubi ſita poſtmodum nobilis Abbatiæ ordinis Benedictini, nunc Prioratus Cluniacenſis, ab illis inhumationibus dictus *Beata Maria du Charnier*. Viſitur ad hanc uſque diem illa S. Salvatoris Eccleſia (& cœmiterium cineribus Canonicorum tumens, ſed tumbis ſpoliatum paucis ab hinc annis) ad quam Metropolitani Canonici, qui Clericis Regularibus ſepulchretum illud ceſsêre, bis in anno procedunt, Fratrum piis manibus paren-

Digitized by Google

taturi. De qua Frodoberti donatione Magno facta, ſic vetus Chronicon MS. Clarius item, & Gaufridus à Collone pag. 74. *Eodem anno eligitur S. Magnus & in Archiepiſcopum conſecratur Romæ à Leone 3. Iſte S. Magnus ædificavit Eccleſiam S. Salvatoris in vineis ſuper terram ſancti Petri Vivi, voluntate Frodoberti Abbatis dicti loci ſancti Petri, & conſenſu Fratrum: & ibi ſepulturam Canonicorum piæ Congregationis majoris Eccleſiæ conſtituit, & ſeipſum juſſit eadem S. Salvatoris Eccleſia ſepeliri*, anno 818.

47. HIEREMIAS. Quotquot hactenus rerum Senonicarum ſcriptores, Tabularios, indices & Dipthyca Præſulum illius urbis legerim, omnes Magno Hieremiam immediatè ſubjiciunt anno quinto Ludovici Pii Imperatoris Indictione undecima. Quâ ſtante epochâ, nullibi audiendus Hariulphus Monachus Centulenſis in Chronico S. Richarii lib. 3. cap. 20. qui Hieremiam illius loci Monachum & Theſaurarium, deinde Senon. Archiepiſc. dicit metu paganorum Senonas fugiſſe cum ſacris ſanctorum pignoribus ad Monaſterium S. Columbæ tempore Ludovici & Carlomanni filiorum Ludovici Balbi, qui ante annum 879. non regnarunt. Nec dignum æqui verique ſtudioſo fingere duos Hieremias qui ſuo quiſque tempore Senonenſem Eccleſiam rexerint, quorum prior è S. Columbæ Senonenſis Aſceterio; alter è Centulenſi prodierint; & hic omnium Scriptorum tabulis exciderit. Conſentiunt omnes Hieremiam qui ſub Ludovico Pio poſt Magnum & ante Aldricum Senonenſi Eccleſiæ præfuit, è Centula ubi Theſaurarius & Procurator erat, in ſanctæ Columbæ Monaſterium evaſiſſe; ibidem Abbatiali pedo, tum Senonenſi præfectura donatum fuiſſe, partemque ſacri theſauri Centulenſis ſuos inter Columbenſes Monachos; & Stephanienſes Canonicos diviſiſſe; functaque decennali aut circiter Paſtorali regimine, beato fine in eodem S. Columbæ Cœnobio, ubi jacet, quieviſſe. Hæc omnes Senonici, tum veteres tum moderni; hæc Sanctimarthani; hæc ipſe Hariulphus Centulenſis, ſi ſolam exceperis ſuæ chronologiæ labem, quam inurere ſibi facile potuit ſcriptor duodecimi ſæculi, ſchedis originalibus, bellorum conflagrationibus conſumptis deſtitutus. Nec gratis diceretur, ſi longius excurrendum eſſet, adoleſcente ſæculo nono quaſdam in Galliæ maritimis oris excurſiones Barbarorum viſas eſſe à quibus cavendum ſibi ſuiſque Fratribus jure cenſuerit Hieremias ad Senonenſes profugus.

Hieremiam iſtum ſub Ludovico pio & Aldrici deceſſorem con-

ſtanter ponit Philippus Labbeus. tom. 7. Concil. Auctor Vitæ Aldrici, qui genuinum præ ſe fert veritatis characterem: *Hujus beati adoleſcentis, Aldrici, fama ad ſanctū Hieremiam devenit, qui tunc temporis Archipræſulatui Senonenſi feliciter præſidebat.* Et cap. 12. docet eidem Hieremiæ ſubſtitutum fuiſſe. Clarius, & Gaufridus à Collone tabulâ 21. *Mortuo ſancto Magno Senonenſi Archiepiſcopo, & in ſua Eccleſia ſancti Salvatoris ſepulto, domnus Hieremias Archiepiſcopus eſt effectus. His temporibus pagani diffuſi ſunt in pago Pontivo, quod cernens Hieremias Monachus & procurator Monaſterii ſancti Richarii, videns multiplicatam malitiam, conſilio Fratrum multas reliquias quas Karolus Magnus dicto Monaſterio dederat ob amorem nepotis, qui in illo Abbas fuerat, Senonis detulit, & Monaſterio ſancti Columbæ prope Senonas demoratur.* Et paucis interjectis: *Defuncto ſiquidem Hieremia Archiepiſcopo Senonenſi anno Domini* 828. *& ſepulto in monaſterio ſanctæ Columbæ* VII. *Idus Septemb.* Odorannus habet VII. *Idus Decemb. ſanctus Aldricus Abbas tunc temporis Monaſterii ſancti Petri Ferrarienſis, Archiepiſcopus conſenſu omnium eſt effectus, adhuc vivente Ludovico Pio Rege Francorum & Imperatore Romanorum.* Quæ tabulâ ſequenti repetit: *Anno* 830. *S. Aldricus & regebat Eccleſiam Senonenſem, & Ludovicus Imperator vivebat.*

Ut efficacius, & ab auctoribus externis erroris arguatur Hariulfus, qui ad tempora filiorum Ludovici Balbi Hieremiam hunc retrahit, & offendiculum fuit hujus ætatis nobiliſſimo ſcriptori, legenda Amalarii Epiſcopi epiſtola anni 827. ad Hieremiam Præſulem Senonenſem tom. 7. Spicilegii Dacheriani pag. 164. de quo Ludovicus Pius in Epiſt. ſua ad Hieremiam Senonens. pag. 1647. tomi VII. Concil. *Amalarii Epiſcopi, Hieremiæ Senonenſi Archiepiſcopo. De nomine Ieſu Chariſſimo Patri & accuratiſſimo Rhetori Hieremiæ Vati in noſtra Ieruſalem.* Item capitulare II. Ludovici Pij in quo præſules nominantur qui Lutetiam veniant, & ad alias regiones mittantur &c. cap. ſeu. num. 25. *Senones Ieremias Archiepiſcopus & Donatus Comes Rotomagum Vvillelbertus Archiepiſcopus & Ingobertus Comes, &c.* Quem Hieremiam cum Jona Aurelianenſi Romam legatum miſit ad Eugenium II. Papam idem Ludovicus pluribus ab eo commendatum: eique & collegæ reſcripſit Romam, & forſan in Græciam profecturis cum actis Concilii Pariſienſis; quas literas & commonitorium Sirmondus & Labbeus anno 824 prodiiſſe putant. Unde nullus doctiſſimo viro dubitandi locus quin Hieremias, quem Senonici Centu-

Digitized by Google

Centulenſem agnoſcunt, tùm Abbatem ſanctæ Columbæ, tandemque ſibi prælatum, vixerit ſub Ludovico pio; mereque fictitium eſſe Hieremiam illum, quem poſt annum 879. Hariulfus poſuit, aut illius fœdum eſſe mendum in chronico Centulenſi. Habes adhuc Diploma Ludovici pii in appendice ad Lupi Ferrarienſis opera editionis Baluzianæ, ubi laudantur *Aufridus & Donatus nepotes Hieremiæ quondam Senonicæ urbis Epiſcopi.* Legeſis etiam chronicon Lemovicenſe tomo. I. Bibliot. Labbeanæ; ſed corrigendus auctor per Odorannum ponens cum Clario obitum Hieremiæ anno 829. qui precedenti contigit idib. Decemb. ut jam dictum. Profert Mabillonius pag. 513. ſui Diplomatici Chartam Caroli M. in qua Hieremias iſte ejus ſe Cancellarium exhibet anno 813. Ind. 6. Cæterùm qui duos finxit Hieremias Archiepiſcopos Senonenſes, quorum junior ætate filiorum Ludovici Balbi ſederit annum circiter 879. & ſeqq. non advertit nullum ei ſeſſionis tempus aſſeri poſſe. Aldrico proximè ſucceſſit Venilo, poſt quem Egil ſeu Ægilo quem ſequitur Anſegiſus, qui teſte Labbeo deceſſit anno 883. & ipſos Ludovici Balbi filios inunxit anno 879. quo fictitium Hieremiam Senonis emerſiſſe putat nuperus Auctor. Anſegiſo ſanctus Evrardus ſucceſſit, cujus obitum Regino Abbas in chronico ad annum 888. conſignat: poſt quem Vvalterius Formoſi Papæ tutelâ notiſſimus: tum Valterius alter ejus nepos, &c. Quorum omnium ſedendi tempora nullo ſeſſionis hiatu notantur in quem irrepere potuerit novus Hieremias omni retrò antiquitati non notus: & hæc ſufficiant pro rei veritate, ſaluâ doctiſſimo viro reverentiâ, cujus adhuc viventis nomen hîc tacitum omnia cum ingenti librorum à ſe vulgatorum ſuppellectile replet orbis Chriſtiani muſæa.

In antiquiori chron. M.S. & apud Gaufr. à Collone tab. citatâ dicitur Hieremias *valde eloquens & in omni philoſophia ſtudioſus*, & in chronico Centulenſi, *homo nobilis, nec ſolùm clauſtrali ſed etiam ſæculari præditus prudentia:* quem nobilioribus adhuc titulis ornat Auctor vitę ſancti Aldrici, ſcribens eum ſanctiſſimo illi viro fuiſſe chriſtianæ perfectionis & vitæ paſtoralis exemplar: *quippe prædeceſſorem ſuum ſemper ſibi proponebat imitationis exemplum, ut cujus ſucceſſor exſtitit in apice, & ſuccederet in humilitate.* Auctores fuſioris Galliæ Chriſtianæ ad fontes hiſtoriæ noſtratis intendentes non omiſère quod à Frodoberto ſancto Petri Senonenſis Abbate requiſitus *Ieremias apud Mauriacum in Avernia anno Domini* 824. *Monaſterium in honore ſancti Petri*

Digitized by Google

conſecravit in territorio, quod ſancto Petro Senonenſi dederat Dux Aquitaniæ Baſolus, quando Monachus factus fuit, ad petitionem ſanctæ Theodechildæ filiæ Chlodovei primi Chriſtiani è Regibus; & in illo novo Monaſterio Conventum Monachorum impoſuit ſub Abbatis imperio ſancti Petri Vivi Senonenſis omni tempore gubernandum. Ludovicus dedit privilegia ſancto Petro Senonenſi de dicta Eccleſia. Hactenus exſtat ſub Decanatus aut Prioratus titulo in diœceſi Claromontana, inſignis ſodalitio Monachorum è Congregatione ſancti Mauri.

Ejus in Monachos ſancti Benedicti ſuæ civitatis ſuburbanos ſingularis providentia commendatur ex Diplomate Ludovici Pii anno decimo quarto ejus imperii indictione quinta, qui annus incidit in 817. æræ communis; in quo præter alia ſic Ludovicus: » [Vir venerabilis Hieremias ſanctæ Senonicæ Eccleſiæ Epiſco- » pus, humili ſuggeſtione Clementiæ noſtræ innotuit, eo quod » cellæ Cœnobiales Epiſcopii, cui auctore Deo præeſt, id eſt, » cellæ ſancti Petri, & cellæ ſancti Johannis, & cellæ ſancti Re- » migii in quibus Monachi ſub ſanctæ Regulæ diſciplina reli- » gioſam vitam Divinæ pietati toto laboris adniſu debent exhi- » bere, variis caſibus diverſiſque indigentiis quibus humana ful- » citur fragilitas; antea dicti ſub manibus & poteſtate anteceſſo- » rum ipſius urgente omnimoda inopia, longè à ſuo propoſito » aberrantes exorbitaverunt. Dum videlicet memoratarum ſub- » ſtantia cellarum per diviſionem olim factam diminuta fuiſſet: » Et qui præerant Epiſcopi, non habentes inde ſubſidia ſum- » ptuum ſuis uſibus neceſſaria, caperent ex iiſdem cellis quan- » tum extorquere quibant, dum alio modo ſufficientiam habere » non poſſent dari ſibi cogebant, &c.] Cui malo cautum voluit Imperator reliquo diplomate, cujus in Archivis Eccleſiæ Senonenſis aſſervati, & eodem Cæſaris anno 14. ſed mendoſa Indictione conſignati meminit etiam Tavellus pag. 28. Sepelitur Hieremias *nutu divino*, in æde Cœnobiali ſanctæ Columbæ Senonenſis anno 828. die 7. Decembris.

48. S. ALDRICUS. Nobilis indigena Vaſtinenſis, Monachus, tum Abbas Bethleemitanus, ſeu Ferrarienſis ſub Alcuino & Sigulpho: & à Hieremia Senonenſi diaconus, & preſbyter ordinatus elapſo biennio; iis gratiarum chariſmatibus inſignitus quæ virum commendant ad maxima deſtinatum. Ludovico Pio acceptiſſimus fuit; coram eo, inquit vitæ auctor, *quorumdam incredulorum qui tunc fidem chriſtianam impugnabant,*

Digitized by Google

prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illi, verſutias eliſit argutas, & ruinam periclitantis fidei propulſata penitus ambiguitate redintegravit. Super quibus jocundatus Imperator Auguſtus eum praeceptorem Palatinum inſtituit, ut vita imperialis Aulæ & majora negotia ſuæ diſcretionis arbitrio definirentur. Nec male notant Annales Bertiniani ad an. 833. Aldricum Ludovico Pio ſemper fideliſſimum adhæſiſſe : & Philipp. Labbeus duas profert literas in ſuis Miſcellaneis curioſis, quæ docent eum Pippini Aquitaniæ Regis, filii Ludovici Auguſti Cancellarium fuiſſe. Quem etiam idem Auguſtus Miſſi, ſeu Legati muniis cohoneſtavit, primum anno 8. imperii ſui pro Elnonenſis Cœnobii utilitatibus ex autographo Elnonenſi ; tum pro reformatione monaſt. ſancti Dyoniſii ad Lutetiam, facto ibi conventu Epiſcoporum provinciarum Senonenſis & Remenſis, datoque ad id ampliſſimo Diplomate à Ludovico Pio, ejus imperantis anno 19. indict. 10. ut in Tom. VII. Conciliorum in autographo nondum à blattis univerſim corroſo in Archivis Dyoniſianis, primo loco ſubſcribit Aldricus cum aſpiratione in fronte Nominis. Et anno ſequenti munit etiam ſuo nomine chartam partitionis bonorum ejuſdem Abbatiæ, procurante H lduino ejus loci Abbate anno 833. ex autographo etiam Dyoniſiano. Aldricus item in Concilio Vvormatiæ habito curat à Patribus ratam haberi tranſlationem à ſe faciendam conventûs Benedictinorum ſancti Remigii Senonenſis è ſuburbano civitatis Aſceterio Vatilias uſque ; cui Concilio ſubſcribunt poſt Aldricum Epiſcopi 25. & 5. Abbates anno Chriſti 833. probatque ſuo diplomate Ludovicus anno ſequenti, ut in Tomo VII. Conciliorum editionis Labbeanæ. Nominatur etiam in cauſa Flaviniacenſium myſtarum in diplomate Lotharii anno 21. ejus in Italia imperantis, cum Alberico Lingonenſi & Modoino Auguſtod. Quamvis ejus ad ſedem Senonicam aſſumptio Clero populoque & ipſi Cæſari Ludovico acceptiſſima fuerit ; alterius tamen propoſita fuerat electio, ab Imperatore rejecta. ut eruitur ex Epiſtolis Frotharii Tullenſis Epiſcopi apud Ducheſnium, cui Præſuli ſcripſit Aldricus epiſtolam num. 13. de ſua electione ibidem, ſicut etiam Eccleſia Senonenſis de eadem ad Hilduinum Abbatem & Archicapellanum ; alteram ad Eginhardum, tertiam ad Judith Imperatricem. Habes in Spicileg. Dacheriani tomo II. alias Aldrici literas.

Auctor ejus vitæ cap. 15. & poſt eum Cœnobita Foſſatenſis qui tempore Henrici primi Regis actus & miracula ſancti Ba-

boleni collegit, memorant Aldricum ejuſdem monaſterii, Lutetiæ vicini Baſilicam dedicaſſe,& eo cœleſti munere (quo dignata etiam olim ſancti Petri Vivi Eccleſia ſub Heraclio Senonenſi) in gratiam tanti Præſulis, ut hic referre non pigeat quæ ſcribit „ Auctor indigena loci : *Corpus Baboleni in alteram Baſilicam qua „ elegantiori opere à religioſo Abbate Benedicto conſtructa, & à ſancto „ Aldrico Senonenſium Archiepiſcopo aliiſque præſulibus dedicata fue- „ rat ſeptimo idus Decembris tranſlatum eſt. . . . . Namque idem B. „ Archiepiſcopus ipſâ qua prædiximus nocte,cùm in eadem Eccleſia mo- „ re ſibi ſolito oratum iiſſet,ſoloque proſtratus, jam jamque prolixiùs pre- „ ces ad Dominum & lacrymas fudiſſet , vidit ſpecialiter ſanctos „ Angelos, ut olim Iacob aliiꝗ, de cœlo deſcendere, totumque in cir- „ cuitu atrium & Eccleſiam luſtrare,ſacrare atque benedicere,&c.* Dedicavit etiam Eccleſiam Caſtri ſancti Florentini amplioribus diductam ſpatiis à Godelina Carnotenſi , & Lemiſſa Perticenſi Comitiſſis & ſororibus germanis,ut habetur in hiſt. tranſlationis Reliquiarum ſancti Florentini (quæ tunc contigit) in Archivis S. Germani Antiſſiodorenſis. Cui civitati præſulem dedit Heribaldum monachum S. Germani , vitæ ſanctimonia clarum, & in ſuo adhuc monaſterio quieſcentem.

Multis aliis pro Eccleſia Dei regnique pace functus officiis, vitæ monaſticæ,cui adoleverat, iterum ſtudioſus , abdicationem meditabatur,ſuumque Ferrarias reditum , cùm eum mors prævenit teſtante Lupo diſcipulo ſuo in Epiſt. 29. ad Venilonem ſuucceſſorem : *Quæ etiam deceſſor veſter beatæ memoriæ Aldricus, qui præfati Cæſaris juſſu & mirabili bonorum adniſu, nobis cùm eſſet Abbas, ablatus, Eccleſiæ Senonicæ factus eſt pontifex, ad nos immutabiliter propoſuerat regredi, Epiſcopali curâ omiſſâ, quando hanc vitam, ut credimus, feleciori mutavit.* Quæ clauſtralis vitæ beatiſſima otia plures tunc ætatis Epiſcopi, ab illis, Eccleſia cogente, diſtracti, repetebant, ut de Senonenſibus S. Gumberto, Amato, Vulfranno, &c. ſuprà relatum. Aldrici vitæ clauſulam his ver- „ bis exprimit qui geſta ejus conſcripſit. [Ingraveſcente mor- „ bo, debito refectus Viatico, fixis in cœlum oculis, manibus „ ad Deum evectis, viam univerſæ carnis ingreſſus ſexageſimo „ primo vitæ ſuæ anno, 65, ſexto idus Octobris feliciter migra- „ vit ad Dominum, coronam lætitiæ de manu Dei acceptans. De- „ latum eſt autem ejus corpus ad prædictum Cœnobium *(Ferra- „ rienſe in Vvaſtinis.)* juxta tenorem præcepti ſui, cum magno e- „ julatu poupulorum lugentium & gementium ſe tanti tamque

Digitized by Google

benigni paſtoris præſidio deſtitutos & deſolatos relinqui: & « in ſtillicidio juxtà Oratorium B. Andreæ in lapideo tumulo « quem vivus ſibi conſtruxerat, honorificè ſepultus eſt, ubi « non minus poſt mortem ſuam, quàm in vita ſua, quanti meriti « fuerit ſervus ejus, Dominus per plurima virtutum & miracu- « lorum declaravit indicia.] Ei Baſilicæ ſtillicidium eligenti pro « ſepultura, præiverat digniſſimus in ſede deceſſor S. Lupus qui Columbæ ſanctiſſimæ cœlitis pedes moriens, ut vivus, elegit.

Quantùm ad ætatem Aldrici, ut recte notat Mabillonius, per ſe corrigendus Auctor vitæ ejus, qui natum eum aſſerit anno Chriſti 775. obiit enim citrà dubium anno 840. Ludovico Pio ſimul lethali; ut colligitur ex Epiſt. Lupi ad Immonem Noviomag. Epiſcopum, & ex libello proclamationis Caroli Calui adverſus Venilonem, ubi dicit cùm partem Regni fratribus ſuis ceſſit, *Metropolin Senonum vacaſſe Paſtore*; quæ diviſio ſtatim facta eſt poſt pugnam Fontanelicam, commiſſam in Tractu Autiſſiodorenſi, ſabbathi 25. Junii 841. junctis Carolo & Ludovico adverſus Lotharium & Pipinum. At 6. Idus Octobris præcedentis deceſſerat Aldricus, natus proinde annos 65. aut 66. Eum feſto duplici colit Eccleſia Senon. ſexta Junii quâ fuerat ordinatus. Ferrarienſes majori ritu die 10. Octob. qui dies depoſitionis; & 30. Julii quo è terra levatum ſacrum ejus corpus in argenteam thecam; quam poſtmodum nobiliſſimus Abbas Lud. de Blanchefort anno 1487. magnificentius decoravit expenſis in rem millibus nummorum argenteorum quadraginta, impia manu ſublatis à Calviniſtis anno 1569. & oſſibus ſacris diſſipatis præter quatuor aut quinque, certis indiciis recognita, quæ in argentea capſula hodie adſervantur. Uno proinde anno peccavit chronologia vetus Senonenſis, Gaufridi à Collone & aliorum: ſic enim in fine tabulæ 22. *Anno Domini* 841. *obiit ſanctus Aldricus 6. Idus Octob. apud Ferrarias in monaſterio ſancti Petri tumulatus, multis clarus virtutibus illo loco.* Eumdem annum Ludovico Auguſto morienti aſſignat pari noxâ. Minus etiam bene Tavellus, qui vitam Aldrici ſe legiſſe profitetur, cùm ei tribuit annos ætatis 71. Pene omiſeram Aldricum à Lud. Imperatore ſcholis palatii præfectum fuiſſe, ut vitæ auctor teſtatur. Et quidem Epiſcopi è Cariſiacenſi Synodo ſcribentes ad Ludovicum Regem Germaniæ anno 858. illud confirmant, *Domus Regis Schola dicitur.* Et Ericus monachus in præfatione ſua ad Carolum

Digitized by Google

Calvum : *Ita ut meritò vocitetur ſchola Palatium, cujus apex non minus ſcholaribus quàm militaribus conſueſcit quotidie diſciplinis.*

49. VENILO, al. GUENILO, al. HENEAULUS, al. VVANILO, ut ipſe ſemper in autographis noſtris ſubſignavit. Hujus celeberrimi Præſulis plures plura dixêre ad quæ remittimus. Auctor vitæ Aldrici deceſſoris ejus, ſed ſub corrupto nomine meminit cap. 20. *Poſt beatum Aldricum prædicta urbis* (Senonum) *cathedram ſortitus eſt Heneaulus, quem ipſe ſæpe dicto Monaſterio* (Ferrarienſi) *Abbatem præfecerat. Hic igitur bonorum actuum exercitiis pervigilans, & mente cæleſtibus inhærens, divinitus comperit ubi requieſcerent corpora SS. Martyrum, ſcilicet Saviniani & Potentiani, Eodaldi & Serotini, quorum reverentia ne tempore & neglectu obſoleſceret, corpora beatorum Martyrum omni pompa ſolemni in Eccleſia ſancti Petri* (Vivi) *honorabiliter collocavit. Corpus etiam beati Lupi Senonum Præſulis, & beatæ Columbæ virginis, quæ ſub Aureliano Imperatore paſſa eſt, & altera* (ſancta Beata) *tranſtulit*, &c. Non admittit Mabillonius Vvenilonem Abbatem fuiſſe Monaſterii Ferrarienſis, priuſquam Eccleſiæ Senon. præficeretur, contra fidem eorum omnium qui præceſſêre, ex eo quod Carolus Calvus in libello cap. 1. proclamationis adverſus eum edito fateatur, *ei tunc clerico meo in capella mea mihi ſervienti* Metropolim Senonenſem gubernandam commiſiſſe. Sed non ignorat vir ſincerè doctus præfecturam Monachorum & præſertim Abbatum in aulis Regum & Cæſarum diu viguiſſe. Cancellarios habuêre (ut de plurimis paucos recenſeam) Aldricum Venilonis deceſſorem, Monachum Ferrarienſem : Hieremiam itidem Senonum Præſulem, Monachum Centulenſem: Hilduinum ſancti Dioniſii Abbatem, Adonem Abbatem S. Vedaſti : Ruatfridum Abbatem ſub Carolo M. ut in Annalibus Eginhardi ad an. 809. Helicazarem Centulenſem ſub Lud. Pio: Fulradum Monachum & Abbatem Sandionyſianum ſub Pippino & ejus filio Carolo M. quem ſui ſæculi Mercurium vocitant omnes, ob inſignes quas feliciter obivit Regum legationes. Prætereo Alcuinum, Silveſtrum Papam, Sugerium & alios orbis Gallici atlantes, ut paſſim obvios, & quibus citrà vitæ Regularis diſpendium tota publici ſtatus & Reipublicæ moles utiliter incubuit.

Notum omnibus Carolum Calvum Imperatorem Veniloni infenſum in Concilio Tullenſi ad Saponarias publico proclamationis libello defectionis poſtulatum fuiſſe. Nuſquam ardentius

Digitized by Google

ira principis efferbuit, nec adverſus Præſulem Senonicum ſiluit Cleri Gallicani pars numeroſior: nullibi tamen (quod mireris) quidquam decretum, nihil labis aut convictionis emerſit, ſolâque ſui conſcientiâ ſtetit innoxius Venilo, & in gratiam Regis ſe ſolo rediit: ſic enim auctor Annalium Bertinian. ad an. 859. *Karlus Rex per diverſa loca Conventus Epiſcoporum agit. Sed quarto à Tullo leucorum milliario in villa Saponarias cum Lothario & Karlo nepotibus ſuis Regibus, Synodo Epiſcoporum adſiſtens, libellum accuſationis adverſus Guanilonem Agendici Senonum Metropolitanum Epiſcopum porrigit. Quæ tamen actio propter abſentiam ejuſdem Gualinonis Epiſcopi dilata eſt.* Et paucis interjectis. *Guanilo Epiſcopus Senonum abſque audientia Epiſcoporum Karlo Regi reconciliatur.* Interim in publicis Eccleſiæ conceſſibus quibus aut præfuit aut ſingulariter enituit, nullus eo frequentior, ut in Vernenſi anno 844. Belvacenſi 845. Meldenſi cui præſidet anno eodem, Pariſienſi 847. & Muritano ſuæ Dioeceſis; alteri Senon. 852. Item Senonico 853. pro electione Burchardi Carnot. Epiſcopi conſanguinei ſui, ut apud Audradum Modicum eodem ſæculo ſcribentem. Et in eadem Metropoli 862. pro depoſitione Herimanni Nivern. Præſulis. Vermerienſi 2. & Sueſſ. itidem 2. anni 849. Tullenſi 860. Aquiſgran. anni 862. Subſcribit etiam in Conc. Piſtenſi 864. privilegio ſancti Germani Autiſſiod. & alteri pro Remigianis Senon. nec non etiam confirmationi privilegii Sandionyſiani olim à Landerico conceſſi, illam procurante Ludovico Abbate, & conſentiente Ænea præſente & poſt Venilonem proximè ſubſcribente anno 862. quo pariter anno conſentit & ſubſcribit chartæ libertatis & immunitatis ſancti Martini Turonenſ. eidem Piſtenſi Synodo oblatæ. Hîc obſervare non erit ingratum in Synodo Piſtenſi anni 861. & Sueſſionenſi quæ in ſequenti Piſtis in eamdem urbem tranſlata eſt, Veninolem prius per Baltmundum Archidiaconum Senonenſem ad ejus abſentis vicem ſubſignaſſe; dein per ſeipſum, chartam ſibi oblatam relegentem. Hic in autographo Sandionyſiano à me viſo: *Baltmundus Archidiaconus ad vicem Domni & patris mei Vuanilonis Senonum urbis Archiepiſcopi.* Et in primo ordine omnium ſubſcriptionum Epiſcopalium, cui ſpatium vacuum Baltmundus reliquerat, ſic: *Ego Vuanilo munere divino Sennenſis Epiſcopus, prius per advocatum, poſtea per memetipſum.* In cujus pleriſque aliis ſubſcriptionibus, ſe ſemper *Sennenſem* non *Senonenſem* exprimit, ut mirum non ſit ſi in literis Zachariæ Pa-

Digitized by Google

pæ pro Actberto Senonenſi, *Sennis* legatur, non *Senonis*. In eadem charta Synodi Sueſſion. par de Ænea Pariſienſi formula. Prius ſyngrapham apponit Ormundus ejus diaconus præſens & ejus vice: tum ipſe *Relegens ego ipſe Æneas Pariſii Epiſcopus.* In altera Synodo Piſtenſi anni 864. cujus omnes ſyngraphas originales inſpexi, promiſcuus ſubſcribentium ordo, ſed primus omnium Venilo Senonenſis.

Hinc inferat lector ex hac Venilonis in tot Eccleſiæ Conventibus præſentia ſub potentiſſimo Rege, cui tum non arridebat, & cujus minis alii Præſules terreri poterant, aut deliniri miro verborum lenocinio, pene majeſtatem Imperii Gallici non decente, quod exhibet proclamationis Carolinæ libellus; cum tandem integrum vitæ ſceleriſque purum audiiſſe apud omnes. Hanc integritatem famæ, inviolatæ in Regem obſervantiæ, & Eccleſiaſticæ communionis veritatem probant ultrò citròque datæ literæ Nicolai Papæ & Venilonis, quas exhibet Labbeus tom. 8. Conciliorum & alii. Probat ambitioſè quæſita tanti Præſulis gratia ab Hincmaro Remenſi, ejuſque, quamvis alterius provinciæ Metropolitani, conſenſus pro ſua ordinatione. Par aſſumptioni ſuæ ſuffragium & decus poſtulavit Æneas cum ſuo clero Pariſienſi datis utrinque literis, amicitiæ ſingularis indicibus, quem etiam conſecravit, ut habet Lupus in epiſt. 99. Non minus in obſervantiam propenſus S. Prudentius Epiſcopus Trecenſis, qui ſuas ei correctiones nuncupavit aut ſcholia in libros Joannis Scoti.

Hanc porrò de Venilone bonorum omnium exiſtimationem placuit Deo ſingulari gratia commendare, eique teſtes ipſos cœlites adſciſcere, ut poſt Odorannum, cum eruditione tum pietate apud omnes laudatiſſimum, Clarius refert in Chronico à nobis
» edito, his verbis [Illo igitur in tempore (anno 847.) reve-
» laverunt ſe ſancti Chriſti Martyres Savinianus, Potentianus,
» Altinus, Eodaldus & Serotinus Vueniloni Archiepiſcopo, &
» Anaſtaſio Abbati: qui levantes eos cum magno honore de Ec-
» cleſia ubi ſepulti erant, tranſtulerunt eos in Baſilicam B. Petri
» octavo calendas Septemb.] Et paullò poſt. [Anno 847. octa-
» vo calendas Septembris tranſlata ſunt corpora Ss. Martyrum
» Saviniani, Potentiani, Altini, Eodaldi & Serotini ab Vue-
» nilone Archiepiſcopo, & auditæ ſunt voces Angelicæ in cæ-
» lo.] Cujus tranſlationis in cœnobiticam Baſilicam ſancti Petri Vivi ſolemnitas agitur eadem die in Eccleſia Senon. & per totam

Digitized by Google

tam diœceſin. Pari cultu & pietatis obſequio Eccleſiam Monaſterii S. Columbæ dedicavit XI. Cal. Aug. anni 853. levatis pridie & in decentiorem ſitum tranſlatis ejuſdem beatiſſimæ virginis & ſancti Lupi corporibus. Docet nos Lupus Ferrarienſis Epiſt. 122. apud Mabill. Sæculi 4. parte 2. pag. 265. quod Vvenilo dedit literas *dimiſſorias Eccleſiaſticas* Adoni Monacho Bethleemitano ſeu Ferrarienſi apud Vuaſtinenſes; qui poſtea fuit Viennenſis archiepiſcopus vel ſuo nomine celeberimus. Eccleſiarum forſan utilitatibus providens Vuenilo ſibi putavit integrum non ſinere Sacerdotes incardinatos, niſi titulum ejurent, Monaſticen profiteri, non repudiatis tamen ſub Abbatis imperio Paſtoralibus muniis, ſi cogeret neceſſitas; ut frequenter olim: multo minus ſacris Altaris muniis. Illud injurioſum ordini ſuo ratus doctiſſimus Abbas plura in rem Vueniloni proponit epiſt. 29. & Sacerdotibus monachatum ambientibus egregiè favet, hac potiſſimum pericope: *Cæterùm ut mea & multorum fert opinio nullus intra ſanctam Eccleſiam ordo eſt, ubi certius promereri Dominum fidelis anima poſſit, quàm ſi Monaſticæ diſciplinæ ſtudeat propoſitum integrè obſervare. Verùm ne nos magnificare videamur, B. Gregorius cujus tanta in Eccleſia reſplendet auctoritas patrem noſtrum Benedictum his verbis commendat*: Scripſit Monachorum regulam, diſcretione præcipuam, ſermone luculentam: *S. autem Benedictus Sacerdotes ſuſcipi in Monaſterium & poſſe & debere oſtendit, &c.*

Vetus Chronicon Vivianum hanc Vveniloni teſſeram donat quod fuerit *nobilitate præcipuus, & ingenio acutus*, & Ludovicum Pii Cæſaris filium qui ſibi Burgundiæ regnum vendicaverat, in Regem inunxerit, ut etiam Carolum, qui fuit Imperator & ejus frater. Ex eodem Chronico, poſt Odorannum, obiit Vvenilo anno 865. quinto nonas Maii, ſepultus in Monaſterio Remigiano *de Vareilles*, in Crypto S. Anaſtaſiæ (non Agathæ) Baſilicæ noviter ab Aldrico deceſſore ſuo inchoatæ, quam ipſe perfecerat, & multis Ss. pignoribus ditaverat, præſertim ſacris corporibus B. Valeriani Martyris (in Eccleſia parochiali. S. Columbæ Senonis nunc hoſpitantis) & B. Liceriæ virg. & martyris. Addit Chronicon *Vivi*: *Eccleſiam verò S. Stephani, quæ erat vetuſtiſſima, renovavit idem Vvenilo, priſtinoque decori reformavit, quam quarto idus Decembris dedicavit.* Frequens in Conciliis & in aula Vuenilo, ne gregi noceret abſentiâ ſuâ, Otradum habuit Coreſpicopum vices ſuas agentem, qui ſuo munere digniſſimè functus uno aut circiter anno ejus fata prævenit, & in æde paro-

Digitized by Google

chiali. S. Deſiderii, ad muros urbis ſepelitur.

Mirari ſubit quod vir plures inter commendandus, ſed in re Diplomatica totus mirabilis, in ejus operis pag. 532. diploma proferat probè conſignatum anno 15. Caroli Calvi, Chriſti 854. ad fidem autographi Dionyſiani à ſe viſi, cum hoc lemmate: *Ejuſdem Caroli Calvi præceptum quo prædia quædam in pago Stam. penſi conceduntur Vveniloni, qui poſtea fuit Epiſcopus Senonenſis*: quem tamen vir eruditus (qui iſta leget) non neſcit jam ab anno 842. electum, & poſt inunctum à ſe eumdem Carolum, intra decennium, quod præcedit iſtud diploma anni 854. pluribus Conciliis ſupra relatis interfuiſſe. Alteri Veniloni quàm noſtro facta fuit illa donatio. At peccante calamo, ſtet purus labis tantus ſcriptor. Sub tanto præſule floruit Dido Abbas S. Petri Vivi peritiſſimus in arte medica, & ad quem Marcuardus Abbas languentes Monachos ſuos mittebat ſanandos, ut habet Lupus Ferrar. epiſt. 72. ad Didonem.

50. S. EGIL, al. HEGILO, al. ÆGILUS. Conſentiunt omnes cum Sanctamarthanis Monachum fuiſſe S. Petri Vivi Senonenſis, in quo plures pari nobilitate & opum affluentia conſpicui, ſpretis mundi pomparum illecebris Deo vacabant. Hinc Prumiam accitus, Abbas eligitur; ubi Lotharium Imperatorem Monachum induit anno 855. & paulo poſt defuncto, ſuprema funeris ei perſolvit feſto S. Michaelis 29. Sept. cui parentavit hoc epitaphio Rabanus Maurus Archiepiſcop. Moguntinus ei ſynchronus:

Continet hic tumulus memorandi Cæſaris oſſa
Hlotarii, magni Principis atque Pii,
Qui Francis, Italis, Romanis præfuit ipſis:
Omnia ſed ſprevit pauper & hinc abiit:
Nam bis tricenos Monachum hic attigit annos,
Et ſe mutavit, ac bene poſt obiit

Videndus Brouverus in Hiſtoria Cœnobii Fuldenſis, Annales Bertiniani & Metenſes. Poſtmodùm ejuratâ Monaſticâ præfecturâ chriſtianæ humilitatis ſincerè cupidus; cogitur tamen à Carolo Calvo, ei dudum familiari conſentiente Lothario juniore ejus nepote, Cœnobio Flaviniacenſi apud Heduos præeſſe anno 863. Quo tempore corpus S. Reginæ virg. & martyris Alexiæ ſub Decio paſſæ ibique ſepultæ tranſtulit in Baſilicam ſui Monaſterii cum licentia Caroli Cæſaris & Jonæ Æduenſis Præſulis anno 864. ut præter alios narrat in Chronico Hugo

Flaviniacenſis Abbas nepos Othonis III. Imperatoris ; & ipſe Egil poſtridie hujus Tranſl. in inſtrumento fundationis à ſe factæ Monaſterii Corbiniacenſis, filiæ (ut loquuntur) Flaviniacenſis. Ex quo tantùm quæ rei ſunt hîc palam ſunto [Quo- » niam anno 864. quod Verbum caro factum eſt, dum apud Fla- » viniacum ſequente die poſt humationem ſacri corporis Regi- » næ martyris XI. ſcilicet Kalendas Aprilis unà cum Salocone » Jonæ Heduenſis Præſulis cathedræ Coepiſcopo, charitatis glu- » tino noſtræque familiaritatis collegio firmiter compaginato, » Deo propitio, hilari reſiderem animo meo, oratus utpote novi- » ter precibus ibidem compulſus inſignis Regis Karoli piiſſimi » Auguſti Hludovici filii, à Cœnobio veniens Prumiæ, annuen- » te Treverorum Antiſtite, ob paſtoralem curam Flaviniacenſis » Cœnobii...... locum adii Corbiniacum, in quo fundato Ora- » torio in honore Apoſtolorum principis Petri, duodecim ibidem » in memoriam duodecim Apoſtolorum in initio ad manendum » conſtituimus Fratres, quibus præfecimus Decanum in ſancta » converſatione moribuſque probum, nomine Vulfridum, con- » cedentes eorum neceſſariis uſibus ipſum Corbiniacum cum ſuis » appendiciis, omneſque villas, &c.]

Anno ſequenti iterùm impellente Carolo Calvo & congaudente Clero populoque Senonenſi illi nobiliſſimæ Metropoli præficitur, nec ingrato ſummo pontifice Nicolao primo ; quamvis ex aliena diœceſi promoveretur ; quem pallio literiſque donavit, monens ne Pontificali ſolio ſublimatum Monaſticæ vitæ tæderet; ut videre licet apud Sirmondum tomo 3. Concil. Galliæ: *Quod enim* (inquit Nicolaus) *diu in humili habitu cuſtodiſti, profecto indecens eſt ſi nunc in potiori poſitus dimiſeris ordine. Hoc ipſum ſancta quoque ſcriptura, venerandiſque decretis pleniter edocentibus.* Nec ferenda prorſus allucinatio Antonii Yepez Abbatis Valliſolet. in Chronico Benedictino, putantis Egilem Abbatem Prumienſem (quem Ægidium perperam nominat) alium eſſe à Monacho & Præſule Senonenſi, nullas omnino in opinionis ſuæ ſubſidium rationes aut veterum teſtimonia referentis. Videſis apud eum ad annum 865. quo Senonis Egil inſtallatur. Anno ſequenti intereſt Concilio Sueſſionenſi 3. in cauſa Vulfadi & ſociorum ejus. Verùm ut Hincmaro Remenſi amiciſſimus erat, non ægre conſenſit cum eo, paulò liberius Nicolao Papæ reluctante, ut colligitur ex Synodica Epiſtola ad eumdem, quam ſubſignavit in ordine ſuæ promotionis inter Metropolitanos ;

Digitized by Google

ut etiam alteram contra Britonum infeſtationes ; tum pro Solemniacenſibus Cœnobitis in eadem Sueſſ. Synodo ; ſimul his Egil nomine Caroli & Ado Viennenſis pro Lothario Romam mittuntur ad Nicolaum ſecretis mandatis inſtructi ; nec ſolum Regis legatione ſed & totius Concilii nomine directus eſt Egil, ad quem ideo reſcripſit Hincmarus, ut pro cauſa communi Romæ peroraturus ſuam non negligeret apud Apoſtolicum, æmulorum ſuſurris in ſe commotum. Omnium votis fecit ſatis Senonenſis ; ut præter acta Concilii docent nos Annales Bertiniani ad annos 866. & ſeq. Interfuit etiam Synodo Tricaſſinæ 867. in qua cum ceteris patribus literis ſubſcripſit ad Nicolaum P. directis, ſed Hadriano II. ejus ſucceſſori redditis : poſt quam Synodum Abbo Nivernenſis. Epiſcopos de conſenſu Metropolitani ſui Egilis & Præſulum qui Trecis convenerant, donationem facit, &c. Cujus privilegii initialis formula non hîc tacenda. *Abbo Nivernenſis Eccleſiæ Epiſcopus unà per conſenſum & voluntatem Domini Archiepiſcopi mei Egili ac ceterorum Epiſcoporum ſibi ſubditorum, &c.*

Duplex habita congregatio Præſulum in palatio Vermeriæ altera anni 866. in qua cum 30. prælatis ſecundus invenitur Egil ſubſcriptus privilegio Monaſterii ſancti Vedaſti : altera 869. pro Carrofenſibus Monachis, in qua cum iiſdem tertius ſubſignat. Præcipua tamen cogendæ Synodi cauſa diſſidium fuit inter Hincmarum ſeniorem & nepotem ſuum Laudunenſem.

Hunc Præſulem mire commendant tabulæ Senonenſes antiquioris ævi poſt Odoranum. Inter alia notat Gaufridus à Collone (cui lucem cum notis meditabar olim) quod [ob ſua merita & maximam ſuam literaturam, ac etiam ſuam nobilitatem & bonam converſationem factus eſt Archiepiſcopus Senonenſis] Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtrenuum etiam adminiſtrum fuiſſe probat illud quod Auctor Vitæ Frodoberti Abbatis Cellenſis prope Trecas, quam ſub finem ſæculi noni conſcripſit, refert de juvene in matrem crudeliter ſæviente : *Pro hoc nefandiſſimo ſcelere à Sacerdote loci ad Egilem Senonicæ urbis Archiepiſcop. perductus eſt ; cujus præcepto carceri mancipatus, ſqualores ergaſtuli triennio pertulit ; fame deinceps invaleſcente dimittitur, ne inopiâ deficiens moreretur.* Ex ſuperioris Auctoris Chronico *Anno Domini* 871. *obiit Domnus Egil, & ſepultus fuit in Monaſterio ſancti Petri Vivi in oratorio S. Stephani.* Ad cujus pedes inhumatur Aquila celebris Abbas ejuſdem Aſceterii & ibidem ejus diſci-

Digitized by Google

pulus. Ne toti vacaret Eccleſiæ, gregis diſpendio, paſtor bonus, Fulcricum habuit Coadjutorem & Coepiſcopum, qui cum eo in Cariſiacenſi Synodo anni 868. famoſo illi examini Williberti Presbyteri qui futurus erat Catalaunenſis Epiſcopus, interfuit, grati animi vices repenſurus Cœnobio illi ſuo Viviano, ubi à teneris nutritus, deinde Monachus; Villam d'Auſſon (in qua hactenus nobilis Prioratus) & quaſdam alias ad ſe hæreditario jure ſpectantes, datis tabulis ei legavit, quas conſenſu patrum Piſtis iterum conſidentium firmatus voluit anno 869. & quæ leguntur in Collectione generali Conciliorum tomo 8. pag. 1536. editionis anni 1671. hîc citrà nauſeam dandæ, in quibus æra communis & Indictionis probe cohærent cum annis Caroli Calvi.

[Anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu-Chriſti 869. « glorioſi Regis Caroli 25. indictione ſecunda, poſitis nobis di- « verſarum urbium Epiſcopis cum eodem Rege in Piſtis quò ad « componendum regni ſui ſtatum acceſſerat; reverendiſſimus no- « biſque dilectiſſimus Egil gratia Dei Archiepiſcopus Senonicæ « civitatis, propter inſidias & cupiditatem ſucceſſorum impetrato « regali Præcepto de quadam Villa ſui Epiſcopatus nomine *Seuriaci* « in Comitatu Senonico ſita cum manſis omnibus in *Villamari*, « & *Septempiri*, & *Longumpiri*, & cunctis ad eamdem Villam per- « tinentibus plena integritate, cuidam ejuſdem Epiſcopatus Mo- « naſterio ad Orientalem plagam præfatæ urbis in honorem ſancti « Petri dicato, ubi turma Monachorum jugiter Deo famulatur, « ob Dei ejuſdemque ſancti Petri amorem & honorem per ſuæ « auctoritatis præceptum reſtitueret vel donaret, & reſtituens vel « dans perpetim habendam confirmaret, poſtulavit inſuper ut quam « dam Eccleſiam ejuſdem Epiſcopatus in honorem ſancti Petri « conſtructam cum omnibus ad eam pertinentibus in eodem Pago « Alsonis ſitam, eidem Monaſterio ſancti Petri æternaliter « concederet, atque concedens delegaret. Cujus petitionem liben- « ter ſuſcipiens libentiſſimeque perficiens reſtituit quæ juris illa- « rum eſſe dicebantur. Et dedit vel largitus eſt auctoritate & « poteſtate Regis, quod pie à memorato antiſtite poſtulatum eſt, « ut quia locum ſuæ ſepulturæ in eodem Monaſterio præparare « decreverat ex eadem Eccleſia luminare ibi continuatim miniſtra- « retur; & præfata Villa cum ſuis appendiciis uſibus Monacho- « rum ibi degentium deſerviat. Hoc igitur præceptum flagitavit « cariſſimus & dulciſſimus Egil Coepiſcopus ut noſtræ Frater- «

Digitized by Google

» nitatis conventus privilegio noſtræ auctoritatis roboraret atque
» confirmaret ; neque abnuimus.

» Igitur ſtatuimus ut hæc reſtitutio vel largitio noſtri ſenioris
» atque præfati Antiſtitis perpetualiter obſervetur, neque à ſuc-
» ceſſoribus ſuis ullo modo violetur, ſed ſemper ad uſus Fratrum,
» & ad lumen ſufficiendum pro ſua ſepultura teneatur ; non
» modò hæc, verùm etiam omnia quæ in tempore videntur habe-
» re, vel quidquid deinceps adquirere potuerint, ſeu à fidelibus
» eis collatum fuerit cauſâ eleemoſinæ, inſolubiliter ab eis poſſi-
» deatur. Quod ſi quis noſtram exiguitatem contemnendo per ali-
» quam cupiditatem aut ſubreptionem hoc noſtrum Decretum in-
» fregerit, ſecundum auctoritatem quam in beato Petro accepi-
» mus, &c.

» Ego Egil indignus Archiepiſcopus Senonenſis Eccleſiæ hanc
» Donationem & Conſtitutionem à me factam ſubſcripſi.
» Fulcarius Tricaſſenſis Epiſcopus.
» Ego Chriſtianus Antiſſiodorenſis Eccleſiæ Epiſcopus.
» Æneas Pariſienſis Eccleſiæ Epiſcopus.
» Hildegarius Meldenſis Eccleſiæ Epiſcopus.
» Abbo Nevernenſis.
» Gualterius Aurelianenſis.
» Guenilo Rothomagenſis.
» Iſaac Lingonicæ civitatis Epiſcopus.
» Hincmarus Metropolitanus Remenſis.
» Wulphardus Bituricenſis.
» Ayrardus Turonenſis Metropolitanus Epiſcopus.]

Ejus ſingulis annis merita recoluntur votivis honoribus in Eccleſia Viviana, 6. Calendas Maias, & cujus ſacri corporis elevationem meditabatur Illuſtriſſ. D. Ludovicus Henricus de Gondrin Galliarum & Germaniæ Primas, cum mors bonorum invida paſtorem inclitum meritis quàm ætate graviorem rebus humanis eripuit 19. Septemb. an. 1674. In Necrologio Dionyſiano obitus ejus ſic inſcribitur, *IV. Kal. Iunii Egil Epiſcopus* : Et in Flaviniacenſi, cujus auctor Hugo qui ſupra : *IV. Kal. Iunii ſancti Eigilis Senonenſ. Archiepiſcopi ; primùm Prumienſis, deinde Flaviniacenſis Abbatis, qui multis claruit miraculis.* Quem etiam *bonæ memoriæ* laudat Sevinus, ejuſdem Sedis Metropolita, in literis datis anno 880.

51. ANSEGISUS. Hic Ordini Benedictino, cujus monachus ; Clero Gallicano, cujus pene ad invidiam primas &

Digitized by Google

celeberrimum decus ; ipſi tandem Romanæ Eccleſiæ, omnium matri, cui ſub Lamberto laboranti, ſubſidio fuit, ſemper charus erit. De eo ſic Mabillonius in notis ad Sæcul. primùm Benedictinum pag. 87. *Anſegiſus primum ex Canonico Eccleſiæ Senonenſis, monachus factus in ſancti Petri Vivi Cœnobio, tum ex Abbate Lobienſi, Archiepiſcopus Senonenſis factus, &c.* Addendum ei fuerat ex literis Cleri Senonenſis ad patres & Epiſcopos provinciæ datis anno 871. indict. quarta, eum ex Remenſi diœceſi oriundum, ad Bellovacenſes tranſlatum, & ibi S. Michaelis Abbatem conſtitutum fuiſſe : ut mihi non minima ſuſpicio ſit Lobienſem illum Abbatem qui capitula Caroli M. collegit anno circiter 827. alium eſſe ab Abbate Belvacenſi & Præſule Senonenſi. Ex quo ipſe corrigendus in Epitaphio ſeu vitæ ſynopſi Anſegiſi monachi de Vivo & Senonum Antiſtitis quod olim ad tumulum ejus coram exhibui, plures de grege ſciolorum perperam ſecutus. Nullis eum Abbatialibus infulis ornat Gaufridus à Collone in chronico initio tabulæ 25. *Domnus Anſegiſus primo S. matris Eccleſiæ Canonicus, ac deinde ſancti Petri Vivi monachus ; vir laudabilis, nobilis genere, literatura magnus, moribus honeſtus, electione omnium & poſtulatione ſuſcepit Eccleſiam Senon. gubernandam.* Romanæ ejus legationis cùm ad huc Abbas eſſet meminit Aimoinus lib. 5. cap. 27. Non ſemel Romam miſſus eſt orator, ubi (quod olim ſcripſimus) Romanis innotuit quid in Antiſtite Gallo poſſet virtus & doctrina: nec ſemel experta eſt Roma non minora poſſe Senonum Præſulem quàm ducem ; nec minus ſe victam ore Anſegiſi quàm gladio Brenni. Impetratis ibi ab Romano Pontifice Johanne VIII. inſignibus Imperii pro Carolo Calvo, gratiſſimi Regis in ſe ſenſit manum: nec ſegnior fortuna rependit vicem, dum agente Rege, ſuadente Roma, ordinante Petro, nec tandem invidente Gallia, in Pontigonenſi Synodo Antiſtitum hujus regni & Germaniæ primas ſalutatur. Accurrente in Galliam eodem Pontifice ſummo, Lamberti dolos & Saracenorum impias manus evitante, amiciſſimi Regis potentia fretus, pari cum pietate erga Pontificem munificentiâ docuit Italos nullum primæ Sedi exilium eſſe. Quod devoti animi obſequium ratus non impari gratiâ dignum redux ad ſuos Johannes, virum apoſtolica cidari coronandum muneratus eſt pretioſo capite Gregorii primi Papæ ; & brachio Leonis itidem primi implevit dexteram quam in ſe viderat liberalem. His dives muneribus, quæ ſibi Petrus

dederat Romæ, Petro Senonis reddidit in ejus Baſilica Viviana; quibus pene ad invidiam locuples Gallia, fatebitur ſemper tantum ſe debere Anſegiſo quantùm eſt frui Gregorio.

Illud quo potiſſimum eminuit, & invidioſum Apoſtolicæ Sedis munus, ille eſt Galliarum & Germaniæ Primatus in Concilio Pontigonenſi decretus, & quo nullus antiquior in Gallia, ſi bene ſpectentur illius primatialis jura dignatis, majora certe quàm antiquioris ævi Primatum, & quæ in Saviniano Senonenſi ſuggillavit Johannes Launoius, ut in noſtra Diſſertatione adverſus ejus criticas obſervationes oſtendimus. Qui Synopſin addidit Hiſtoriæ Aimoini meritò caſtigandus venit, qui referens acta Synodi illius cap. 33. libri quinti, hæc de ſuo addidit, aut aliquis interpolator : *Iterum mota eſt interrogatio de Primatu Anſegiſi, & poſt multas ab Imperatore & legatis Apoſtolici contra Epiſcopos querimonias habitas, tantùm in noviſſimo quantùm in principio Synodi exinde Anſegiſus obtinuit.* Licet enim concedamus quod ad primam Imperatoris inibi præſentis propoſitionem legatorum votis & mandatis Pontificiis conformem in favorem Anſegiſi Hincmarus Remenſis paulò durius repugnarit; certum eſt tamen perſeveranti Carolo manus dediſſe cum ceteris de Synodo, ut diſertè teſtantur illius Acta cap. 7. quæ Labbeus edidit „ tomo 9. Concil. pag. 292. [Sicut Domnus Papa Johannes „ ſanxit connivente & conſentiente & condecernente Domno & „ glorioſiſſimo Carolo Imperatore ſemper Auguſto Anſegiſum „ venerabilem Epiſcopum, Senonum Archiepiſcopum ſuam vi„ cem tenere, & Primatum & Galliæ & Germaniæ ei contulit, „ in evocanda Synodo & definiendo Canonice, ſi quælibet inſur„ rexerint neceſſaria, *hæc anſulis clauſa non extant apud Baro„ nium* (& ut graviora ad ipſius notitiam referat) & nos una„ nimiter omni devotioue laudamus, & ut ita ipſe Primatum „ teneat Galliæ & Germaniæ decernimus & ſancimus.] Quæ & alia palam dedit doctiſſimus Sirmondus ex veteri Codice S. Remigii Remenſis venerandæ prorſus antiquitatis. Cui iiſdem verbis conſentiunt Odorannus & Clarius apud quos hæc adduntur: „ [Item invenitur in geſtis Epiſcoporum Eccleſiæ Remenſis de „ Archiepiſcopo Senonenſi ita : Obtinuit Domnus Anſegiſus Ar„ chiepiſcopus Senonenſis à beatiſſimo Johanne Papa & à Ca„ rolo Auguſto ut eſſet primus poſt Papam, & teneret Primatum „ totius Galliæ & Germaniæ, & ut fortiora quæque & graviora „ dijudicaret, Synodumque evocaret ſi quælibet inſurrexerint :

cunctique

Digitized by Google

» cunctique ei obediant Galliæ & Germaniæ Epiſcopi ſicut Epiſ-
» copo Romano. Voluit autem ei reſiſtere Immarus Archiepiſ-
» copus Remenſis, ſed minimè potuit convictus Apoſtolica au-
» ctoritate.] Quæ ſufficiunt explodendis additamentis ad Aimoinum, quorum interpolator mordaci ſtylo ſe prodit infenſum Eccleſiæ Senonicæ decori.

Nec minor eſt ejus allucinatio quæ quibuſdam recentioribus fucum induxit, cùm putat Decretum Concilii de Primatu à legatis Anſegiſo & Odone Bellovacorum Antiſtite dictatum fuiſſe *ſine conſcientia Synodi*; falſitatis arguendus ex ſubſcriptionibus 52. Epiſcoporum, præter Abbates; quas Sirmondus & Ducheſnius referunt ex eodem Codice Remenſi, Hincmarianis partibus non ſuſpecto. Primus poſt Johan. Tuſculi Præſulem & Synodi præſidem manum apponit Anſegiſus novâ Vicariatus Apoſtolici dote, quam exprimit, auctus; poſt quem, ſolo medio Johanne Aretino Epiſcopo, pacificè ſubſcribit Hincmarus Remenſis cum ſeptem ſuis ſuffraganeis, nullis in contrarium datis indiciis. Verum, inquam, eſt non ſtatim Hincmarum conſenſiſſe, virum non ſponte facilem, & ingentes in pectore animos verſantem, ob idque Cæſari ſuſpectum, ad *ſingulare* fidelitatis & obedientiæ ſacramentum adactum fuiſſe, ut diſerte monet Sirmondus lemmate ei præfixo: *Concilium Pontigonenſe menſe Junio, in quo lecta eſt Johannis Papæ epiſtola de Primatu Anſegiſi, & juramentum ab Hincmaro exactum*: qua ſpeciali cautela notatum ſe ratus, conqueritur apud eumdem Carolum. At nulla ceterorum Præſulum de Primatu querela legitur, aut ulla ab eis novi Sacramenti præſtandi facta propoſitio, quos in Papam, in ſe & Anſegiſum pronos viderat Imperator. Juramentum iſtud Hincmari pro Anſegiſi (quem *Senioris* nomine ſubindicat) Primatu præſtitum, habetur inter ejus opera, apud Sirmondum, & Labbeum om 9. Conc. pag. 293.

Nec variæ mentis incuſandus Remenſis, ſi in ſubſcriptionibus Trecenſis Concilii, cui præſens Papa Johannes, Anſegiſo (forſan tum abſenti, ut cujus in actis nulla mentio) præpoſitus videatur; nihil enim frequentius occurrit in his ſacris Conſeſſibus quàm confuſus ſubſcribentium ordo, ut pluribus aliàs demonſtravimus.

Quod quidam Recentiores opinantur (nec ſiluit Illuſtriſſ. D. de Marca Libello ſpeciali de Primatibus) non Anſegiſi ſucceſſoribus, ſed ſibi ſoli conceſſam fuiſſe Primatûs dignitatem, dicam

ingenuè quamvis Matiſconenſis civitatis in provincia Lugdunenſi indigena, nuſquam à ſuis votis & debita ſibi poſſeſſione ullo conceſſionis chirographo Senonenſes excidiſſe. Primus qui *ad uxorem proximi ſui hinniit* (verba ſunt Jeremiæ 5. à S. Bernado Tironienſi coram Paſchali II. in publico Conſiſtorio contra Cluniacenſem Abbatem prolata) fuit Gebuinus Lugdunenſis Metropolita, cui Senonicum illud decus ambienti, Gregorius VII. perſuaſione Odilonis Abbatis itidem Cluniacenſis, quem impenſè coluit, fortiter actus, indulſit optata, anno 1079. ſic Morinus lib. 1. Exercit. 31. *Hanc dignitatem magnis ſtudiis ambivit Gebuinus Lugdunenſis Epiſcopus*, quantùm ad tres provincias Senonenſem, Turonenſem & Rotomagenſem. Duplex ſibi adverſus Senonum queſtus paraverat effugium Gregorius; ſcilicet diviſam in quatuor Lugdunenſes nobiliſſimam Galliarum partem, quarum, ex titulo, Lugdunum caput eſſe fingebat: & quod *tunc ætatis* amplitudine & frequentiâ Senonis præſtaret, nam Chriſti Domini cunis vix ſuas anteriores habuit ſub Munatio Planco; cùm vix adoleſcente Româ Senoniæ dominatus eſſet ampliſſimus, & ipſi formidoloſus ſub Brenno duce. De diviſione verò in quatuor Lugnunenſes ſub Gratiano imperante facta, ut volunt, ſed quæ parum ſtabilitur, nullum inde jus primæ Metropolitanus in alias acquiſivit, ut eruditè advertit D. de Marca lib. de Primatib. ad num. 93, & Hincmarus Remenſis apud Flodoardum in Chronico lib. 3. cap. 20. idipſum ſcribit Ludovico Regi, exemplo ſumpto de Trevirenſi & Remenſi Metropolitanis; quorum primus primæ Belgicæ, alter ſecundæ præerat: *Eccleſiæ Remenſis & Trevirenſis comprovinciales atque ſorores, & ex auctoritate & ex antiqua conſuetudine habentur; ea conditione, ut qui prior eorum fuerit Epiſcopus ordinatus, prior etiam habeatur in Synodo.* Et ante veri primatûs encænia ſub Angeſiſo Senonenſi, ſæpius patuit in ejus prædeceſſoribus, ut in pluribus aliis qui ſubſecuti ſunt, non ſolum nulli ſecundam fuiſſe Senonenſem Eccleſiam, ſed iis dotibus claruiſſe vel primæ ſedis gratiâ, aut aliorum Prælatorum diſpoſitione, ut inter ceteras præcipua videretur. Probationi ſufficiant ea quæ ſuperius in Agræcio notavimus ex Sidonio Apollinari eum Bituricas invitante, & omnium vota ſuſpendente pro Bituricenſis præſulis electione; ſingulis ad ejus nutum paratis eum admittere, quem ipſe Senonicus (quem ſingularis reverentiæ causâ Papam nominat) eligeret: & quæ de Actberto, ſub ejus nomine; ex Concilio Sueſſion. anni 744. in quo patres eum cum

Digitized by Google

Abele Remenſi præficiunt, ad quos ceteri Galliarum Antiſtites cauſas gravioris momenti deferant dijudicandas.

Poſt Angeſiſum non hiulca fuit primatialis illius dignitatis poſſeſſio, qua ducentis ſaltem annis pacificam perduraſſe ipſe fatetur doctiſſimus Morinus mox citatus : *Ampliſſima primatus dignitate in univerſam Galliam ducentis annis, nemine repugnante, potitus eſt Senonenſis Metropolita*; nec interpolator audire debet Odorannus ſcriptor inſignis & ſinceriſſimæ famæ, ſi ſcripſit quæ vidit anno 1010. & vero uſu firmata, & à nemine falſitatis poſtulandus ex illis verbis, *cunctiſque ſucceſſoribus ſuis*, in decreto Pontigonenſis Concilii, quod integrum legitur in ejus autographo, appoſitis; qui ſciebat Archembaldum primatem & Senonicum præſulem in Concilio Meldenſi cauſam Hugonis Remenſis, alterius provinciæ Metropolitani dijudicaſſe anno 962. nullo certe jure niſi primatiali talem ſibi licentiam concedente, uti non ſemel monuit Hincmarus ſenior in epiſt. ad Epiſcopos &c. *Metropolitano in alium Metropolitanum nullum jus tribui, judiceſque dandos eſſe, in cujus provincia eſt locus de quo contenditur; & quæſtionem per Epiſcopos judices in eadem provincia eſſe finiendam.* Sciebat etiam Odorannus Sevinum Synodo Remenſi præſediſſe anno 992. in cauſa Arnulphi, cui per vim depoſito ſubſtitutus fuerat Gerbertus (poſtmodum Silveſter II. Papa) qui in libello de illa Synodo teſtatur ipſe quod *dignitas prælatura & poteſtas quaſi judiciaria ſtetit penes Archiepiſcopum Senonenſem* : ejus primatui conſentientibus cunctis Synodi patribus, eodem Gerberto referente in epiſt. ad ſummum Pontificem : *Certe Seguinus venerabilis vitæ, Senonenſium Archiopiſcopus Domini Johannis Papæ vices per Galliam ſibi creditas innovavit, & ita à latere Apoſtolici cum decreto veniens, ejus vices uſque in præſens, omnium Epiſcoporum Galliæ conſenſu proſecutus eſt.* Illud verbum, *innovavit*, nihil præ ſe fert quàm confirmatam juris illius primatialis conceſſionem, & propagatum inſigniter illius uſum, & eâ in oculis omnium evidentiâ, ut Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus Leotherico Senonenſi ſæpius ſcribens, ſuis literis hanc epigraphem figat, *Primati ſuo Leotherico.* Primatem dico, non qui olim inſignium Eccleſiarum Metropolitas ab aliis diſtinguebat; ſed qui ſpeciali ſedis Apoſtolicæ munificentiâ quoſdam præ ceteris evehebat, & quibus omnium primus præluxit hic Anſegiſus.

De Richerio Senonenſi, qui adverſus Decretum Urbani, II. in Concilio Claromontano fortiter inſurrexit, quædam dice-

mus ſub ejus nomine, ſi præli operæ vix moram paſſæ dum ſudat ſub eis Diſſertatio noſtra adverſus Launoii criticas obſervationes, inducias dederint. Pauca item in Daimberto & Henrico &c. ut cuivis palam eſſe poſſit ex ſequentium præſulum laudabili firmitate nihil hactenus pacifica poſſeſſione Lugdunenſes obtinuiſſe.

Interim dicere liceat quod fruſtaneus fuerit hactenus Lugdunenſium conatus. Nihil ſubreptioni aut fraudi dandum, nec prima ſedes veritatis & legum optima cuſtos cuique jus ſuum tollit, cum adverſæ partis non auditæ nec fortè ſcientis præventa ſuſurris, ejus votis indulget. Hoc in rem ſe ſignavit effato pluribus ſcribens ad Hugonem Lugdunenſem novi primatus ſui decora altius efferentem Juo Carnotenſis, his tutus Zozimi Papæ verbis: *Ait Papa Zozimus Narbonenſibus: Contra ſtatuta Patrum concedere, vel immutare nec hujus Sedis poteſt autoritas.* Hinc parem videtur impingere dicam Viennenſibus, adverſus Arelatenſes contendentibus, Illuſtr. D. de Marca n. 123. ſalvâ Romanæ Sedi reverentiâ: *Nulla planè autoritate in vim ejus reſcripti quod per ſubreptionem elicitum, veterum primatum in auditorum jura convellebat, Archiepiſcopus Viennenſis hoc primatu potitus eſt.*

Et quidem jure ſemper arguit Eccleſia Senonenſis adverſus Lugdunenſem (quæ vix ſub Ledrado *Metropolitanæ* nomen obtinuit anno circiter 800.) ſuæ gloriæ ſenectutem. Vix adulta ſub Saviniano vergente in finem primo æræ Chriſtianæ ſæculo, cùm Mater audiit; ut etiam ipſi Pariſienſes myſtæ Mariani jugiter decantant ad originis ſuæ ſacra primordia gratè intenti: nec diffitetur Lugdunum ſuam emerſiſſe primatus indulgentiam mille poſt annos ab illa primùm delineata primatus Senonenſis effigie, quantum tunc ætatis hæc dignitas obtinebat. Proinde non male Joſeph Scaliger in not. Gall. ſub init. *Quod Lugdunenſis ſe Primatem vocari gaudeat, nuperum eſt, & illi ex beneficio Romani Pontificis indultum.* Sed jam ſatis & forſan præter inſtitutum, occaſione primatus Anſegiſi; de hac iterum nobiliſſima Senonicorum Antiſtitum dote dicturi, ſi conceſſo vel tantillo temporis ſpatio poſſit hic Catalogus ad finem perduci. Verùm ne forte Lectorem fugiat eximium in hac de primatu ſenonico cauſa monumentum, nullique Tabulariorum quod ſciam, hactenus notum, hîc exhibemus ex Spicilegii Dacheriani Tomo 3. pag. 147. Epiſtola eſt Ludovici VI. Francorum Regis ad Calliſtum II. Papam anni 1121. quo Lugdunenſis civitas alteri

Digitized by Google

parebat, & Daimbertus Senonenſis novus Antiſtes, & ſatis incautus, furtivam inſcio clero ſuo ſubjectionis teſſeram obtuliſſe Lugdunenſi præſuli dicitur, ut volunt quidam ex Juonis literis ejus operibus inſertis in editione anni 1610. in qua nomen Daimberti & ſuffraganeorum ejus epiſtolæ præfigitur, quaſi Lugdunenſi ſcribentium, ut etiam in illa qua reſpondet idem Archiepiſcopus Lugdunenſis: quibus tamen epiſtolis mutuò datis ſolius Juonis nomen apponitur in editione Nivellania anni 1584. quod fraudis ſuſpicionem ultrò præſe fert. Et in ſubjecta Ludovici Regis epiſtola non ita certa videtur illa ſubjectio de qua conqueritur, uſus hoc verbo, *ut dicitur*; & in tale dubium nos inducit Illuſt. de Marca n. 119. *Primatu ſuo Lugdunenſes abuti tentarunt, unde non ſolum injuſtis conatibus Lugdunenſium Senonenſis provincia obnitebatur, ſed etiam à colenda Lugdunenſi ſede receſſit.* Ad quod non parum contulit iſta Regis expoſtulatio.

LUDOVICI VI. FRANCORUM REGIS CALLISTO PAPÆ. II.

Scripſit nobis ſublimitas veſtra de captione illius apoſtatæ " Burdini,& de incolumitate ſtatus veſtri: unde, Pater dulciſſime, " plurimùm & præ ceteris vos amamus, honoremque veſtrum " ſtudium noſtrum in omnibus eſſe intelligimus. De ſententia " ſane in Metropolitanum Senonenſem pro noſtro honore rela- " xata, animum noſtrum ex parte mitigaſtis; ſed quoniam ad tem " pus eſt relaxata, ſuſpenſum vehementer ac dubium reddidiſtis. " Videtur enim aliquam adhuc habere ſpem Lugdunenſis Ar- " chiepiſcopus ſuper illa quam quærit ſubjectione; ſed ut verum " fatear, ſuſtinerem potius regni noſtri totius incendium, & capitis " etiam noſtri periculum, quàm bonis ſubjectionis & abjectionis " opprobrium. Videtur enim ad noſtrum reſpicere contemptum " contra nos hoc modo fieri quod numquam extiterit factum. No- " vit autem experientia veſtra regnum Francorum in obſequiis " promptum, in neceſſitatibus amicum vobis extitiſſe, nec à fideli- " tate Romanæ Eccleſiæ precibus aut promiſſionibus Imperatoris " nos avelli unquam potuiſſe: & quanto animi fervore, quanta " mentis humilitate vobis obedierimus, ut ſi taceat vox veſtra, " clament opera noſtra, monſtrent obſequia mea. Ut enim cætera " dimittam, illud inter alia meminerit Paternitas veſtra, quod " quamvis gravi, ut ſcitis, laborarem infirmitate, moleſtiâ corpo- "

Digitized by Google

» ris vehementer urgente, Remenſi tamen Concilio cum labore » quidem noſtro, ſed cum honore veſtro intereſſe ſtuduimus, » & plus veſtræ voluntati, quàm noſtræ facultati, plus honori » veſtro, quàm dominio noſtro conſuluimus. Hoc vobis, dul- » ciſſime Pater, memorando ſcripſimus; non quia non placeat » nobis hoc feciſſe, ſed quia volumus hoc à memoria veſtra non » receſſiſſe. Si quid igitur valet, ſi quid poteſt apud vos amor » noſter & obſequium noſtrum, rogamus & petimus ut Seno- » nenſis Eccleſia, quæ ab iſta de qua nunc pulſatur ſubjectione » huc uſque aliena extitit & libera, per vos non fiat ancilla: ſed » antiqua ejus libertas auctoritate Apoſtolica roboretur, & privile- » gii firmitate muniatur: in quo tamen nihil à vobis contra juſti- » tiam exigitur. Si enim opponitur quod veterum inſtitutio Lug- » dunenſi Eccleſiæ primatum contulerit; reſpondetur ex oppo- » ſito quod antiquæ libertatis poſſeſſio Senonenſem Eccleſiam ab » ejus ſubjectione defendit; *Quod enim antiqua poſſeſſione acqui- » ritur, nullo*, ut fertur, *jure adimitur; etiam ſi de jure Romanæ » Eccleſiæ fuiſſe cognoſcitur.* Hac igitur ratione Senonenſis Eccle- » ſiæ libertas remanere debet inconcuſſa & intacta, nec pulſari » aut violari debet pro ſubjectione *noviter* & imprudenter facta. » Facta eſt enim, ut dicitur, latenter & quaſi furtivè ſubjectio » iſta, neſciente ſcilicet Clero Senonenſi, inconſultis etiam » Epiſcopis illius Diœceſis, ignorante etiam Rege, in quibus » omnibus dignitas pendet Eccleſiæ: & ſubjectio taliter facta » reſpicere potius videtur ad ignominiam male [*al. incommodum*] » accipientis quam ad commodum Eccleſiæ neſcientis. Res enim » communis communi tractanda eſt conſilio, non latenti & pri- » vato terminanda colloquio. Cùm igitur dignitas ſit Eccleſiæ » non perſonæ, ſi Senonenſis Archiepiſcopus iſte, & quidem ſo- » lus, de non ſua fecit quod non oportuit, ſi promiſit quod non » debuit; Eccleſia tamen Senonenſis quod ſuum eſt non amiſit, » nec privatam libertatem, quam ex antiquitate habuit: nec co- » genda eſt ad ſubjectionem, quam numquam exhibuit. His ita » ſe habentibus videat, dulciſſime Pater, diſcretio veſtra ne ci- „ vitas Lugdunenſis quæ de alieno eſt regno, de noſtro floreat „ detrimento; nec ſubjiciatur amicus amico, quia ſi decipitur „ pro amico amicus, juſtè fiet de amico inimicus. Rex ergo „ Franciæ qui proprius eſt Romanæ Eccleſiæ filius, ſi in facili „ cauſa, ſi in levi petitione contemnitur, nulla ſpes in majori re- „ linquitur, nec ulterius in aliis patietur repulſam, ſi in iſtis ſu-

Digitized by Google

ſtinet repulſionis offenſam. Melius eſt enim regiæ honeſtati « à precibus deſiſtere, quàm de repulſa nævum ruboris contra- « here. Quod minus in literis continetur, præſentium lator Al- « grinus viva voce ſupplebit, cujus verba tamquam ex ore noſtro « ſuſcipite & cuſtodite.] Hæc ex M. S. ſancti Florentii Salmu- « rienſis; quæ ſi in lucem emerſiſſent cùm anno 1455. Auguſti 19. Carolus Borlonius primum Senonenſis Archidiaconus, tum Lugdunenſis præſul decretum Senatus Pariſienſis obtinuit (conteſtante Lud. de Melun fori argutiarum ignaro) quo ſibi jura primatus obtigêre, hac tamen adhibita cautela & à Patribus conſcriptis prudenter inſerta : *Quo ad ſummam litis, facta prius de jure primatus dubio teſtium inquiſitione conſcriptis prolatiſque tabulis amplius eſſe diſceptanda :* illud ad tempus deliquium vix paſſà fuiſſet Eccleſia Senonenſis.

Anſegiſi laudibus, quod ſupereminet detraheretur, ſi Diploma pontificium hîc non darem vice coronidis, quo Johannes VIII. illi Primatum conceſſit. [Johannes Epiſcopus, ſervus « ſervorum Dei, omnibus ſanctiſſimis Epiſcopis per Gallias & « Germanias conſtitutis, ſalutem. Veſtræ omnium innoteſcimus « Sanctitati quia pro alleviandis multiplicibus oneribus Eccleſia- « ſticis, quibus quotidie ſatis abundeque opprimimur, & quibus « maxime ſuper negotiis ex Galliarum & Germaniarum partibus « nobis aſſidue deſtinatis arctamur : conſtituimus Anſegiſum fra- « trem & Coepiſcopum noſtrum, Senonenſis Eccleſiæ præſulem, « qui quoties utilitas Eccleſiaſtica dictaverit, ſive in vocanda « Synodo, ſive in aliis negotiis exercendis per Gallias & Ger- « manias vice noſtra fruatur; & volumus ut decreta Sedis Apo- « ſtolicæ per ipſum vobis manifeſta efficiantur; & rurſus quæ « geſta fuerint, ejus nobis relatione, ſi neceſſe fuerit, pandan- « tur; ut majora negotia ac difficiliora quæque ſuggeſtione ipſius « à nobis diſponenda & enucleanda quærantur. Quapropter vos « huic piæ ſanctioni omnimode intendentes, quæ ſuper hoc Apo- « ſtolica auctoritate decernimus, unanimes admittite. Talem « quippe illum agnovimus talemque circa Sedem Apoſtolicam « devotum, & in commiſſo fidelem reperimus, ut meritò ei talia « committi poſſe ducamus; quin & his majora conferri debere illi « ſine cunctatione credamus; pro ſua ſcilicet ſanctitate & fidei « merito, atque Divinitas Sapientiæ dono conceſſo. Optamus « vos bene valere. Data IV. Nonas Januarias indictione nona] « quæ incidit in annum 876.

Digitized by Google

Præter hæc primatûs decora, æternùm colet Anſegiſi memoriam civitas Senonenſis, & præ ceteris S. Petri Vivi Cœnobium in ejus pomœriis avita pietate famoſum, quod celeberrimum voluit ex accitis aliunde plurium ſanctorum pignoribus ſacris. Nam præter inclytum illud S. Gregorii primi Papæ donarium capitis omnium votis & oſculis digniſſimi, quod ibidem ſumma religione colitur, & quod Urbanus VIII. die 6. Decembris anni 1628. ſolemni legatione D. de Spada, poſtmodum Cardinalis in illius Baſilicæ ſacrario veneratus eſt; ſuoque Brevi Apoſtolico Octavio Senonenſi præſuli directo, ejus ad idem Monaſterium tranſlationem munivit, aſſerens nondum excidiſſe Romæ primarium donationis inſtrumentum Anſegiſo factæ à Johanne itidem VIII. ſummo Pontifice: tranſtulit etiam in eamdem *VIVI* Baſilicam corpora SS. Sanctiani, Beatæ ſororis ejus, & Auguſtini martyrum, SS. Innocentium corpuſcula novem, & Vrſicini, Agritii, Ambroſii & Leonis pontificum Senonenſium ex æde Gervaſiana ad muros urbis diruta. Impetravit etiam à Vvala germano ſuo & Antiſſiod. Epiſcopo, nec non ab Hugone S. Germani Abbate corpus S. Romani, qui primas Eremi cunas S. Benedicti curaverat olim, teſte eodem Gregorio; quod precariò manet in Eccleſia parochiali ſui nominis in urbe; ejus verò caput in eodem S. Petri Vivi Sacrario. Quæ ſingula ad perennem Anſegiſi memoriam clamitant omnes ſchedæ & Tabulæ Senonenſes, Chronicon Autiſſiodor. &c. Obiit vir eximius ſuæque adhuc virtuti ſuperſtes 7. Calend. Decemb. anni 883. & in Oratorio S. Bartholomæi ejuſdem Baſilicæ Vivi ſepultus: ad cujus tumbam ſtatim appoſitum Epitaphium adhuc perennat apud Sanmarthanos, dignumque quod hîc recolatur.

Antiſtes Senonum, reverentia magna potentum
Anſegiſus in hoc conditus eſt tumulo.
Ut Primas fieret Gallorum, Papa Johannes
Conceſſit, meritis hoc tribuendo ſuis.
** Karli Romanâ cinxit caput iſte coronâ,*
Et dedit in multos Imperium populos.
Gregorii Papæ ſecum caput abſtulit inde.
Hic locus oſſa fovet, Spiritus aſtra tenet.

*Caroli Calvi.

Ejus meminit (apud Perardum) in Teſtamento ſuo Eccardus Comes, in quo *Enſchiſæ Archiepiſcopo* legat *tapetem meliorem unum,*

geſta

geſta Longobardorum libro uno, & chronica quæ Gregorius Turon. fecit libris duobus, & phialas argenteas duas.

52. SANCTUS EVRARDUS, ex monacho & præpoſito S. Columbæ ad Senonenſis Eccleſiæ ſolium evectus 4. Cal. Maii anni 884. *doctrina & virtutibus mirabilis*, inquit Clarius in chronico. Miraculis etiam illuſtrem prodit Gillebertus in Bibliotheca Floriacenſi relatus cap. 9. Hiſtoriæ Tranſlationis S. Romani: *Succeſſit in ſede pontificali Evrardus venerandus Archiepiſcopus, non minus doctrina quàm vitâ virtutibus plenâ & miraculis.* Regino Abbas Prumienſis ad annum 888. quem Evrardo lethalem putat, & obſidione Senonenſi calamitoſum: *Inter ipſas verò obſidionum anguſtias Everardus ejuſdem loci Metropolita, vir totius ſanctitatis & ſapientiæ nitore fulgidus corporeis vinculis abſolutus ad cæleſtem patriam tranſiit. In cujus cathedram ſublimatus eſt Valtharius nepos Valtharii Aurelian. Epiſcopi, longe inferior prædeceſſore moribus, religione & philoſophiæ ſtudio.* Quam tamen de Galthero duriùs aſſertam ſententiam lenit Giſlebertus mox laudatus. Ex veteri chronico S. Columbæ Senonenſis, Evrardus adhuc Monachus & Sacerdos & præpoſitus ſeu prior Regularis ſub Guelphone Abbate Commendatario, Ludovici Pii nepote, ſecundo Nonas Julii excepit Formoſum Epiſcopum Portuenſem, qui poſtea anno 890. ultima Maii ſummus pontifex renuntiatus fuit, à quo plures & inſignes habuit SS. Reliquias. Nepotem habuit S. Bettonem S. Columbæ Monachum & Epiſcopum Autiſſiod. ſub ejus diſciplina religioſiſſimè cultum. Ei reſcribit Marinus Papa primo utriuſque ordinationis anno contra quemdam Erminifridum legata pro conſtruendo Monaſterio in Tractu Senonenſi temerè diſtrahentem, ut habet Frodoardus in vita Fulconis Epiſcopi Remenſis. Genus paternum aut maternum Evrardi colligi poteſt ex iis quæ de Bettone ejus conſanguineo & nepote tradit liber de Actibus Autiſſiod. præſulum: *Is natione Burgundio Senonicæ urbis indigena, patre Alberico atque Burgundione editus, matre vero vocabulo Angela, Francigena, felici eſt procuratus auſpicio. Qui à puero Monachus & liberalibus artibus non mediocriter imbutus tempore Evrardi, cujus erat conſanguineus, Abbas extitit Cœnobii S. Heraclii. Poſtea loci ſui, id eſt Monaſterii S. Columbæ Fratrum prælatus efficitur.*

Obitum ejus his notat verbis Clarius in Chronico. [Quinto igitur anno ordinationis ſuæ. 888. venerunt Senonas vaſtantes « omnia; ſi quidem ſubverſa ſunt caſtra, deſolatæ urbes, deſtru- « ctæ Eccleſiæ, ſuccenſa Monaſteria...... Interea hoſtilis exer- «

Digitized by Google

» citus Senonem oppugnabat civitatem, eamque omni arte quæ-
» ſitis machinis capere nitebatur, obſidens eam menſibus quin-
» que anno ſcilicet 888.] Subdit Clarius [In illis diebus Evrar-
» dus Archiepiſcopus languore correptus obiit Cal. Februarii,
» ſepultuſque eſt in Baſilica S. Columbæ in Oratorio S. Marti-
» ni: cui ſucceſſit ſequenti menſe Domnus Walterius nobilita-
» te & ſcientia clariſſimus.] Ad quam diem, primam Februarii, notatur etiam ejus obitus in veterrimo S. Germani à Pratis Necrologio.

Sanctitatem Evrardi teſtatam habemus (præter ea quæ ſuperiùs dedimus) in antiquo S. Petri vivi Chronico, à quo forſan alii: *Anno Domini* 887. * 888. *defuncto Domno Evrardo Senonenſi Archieſpiſcopo, & in Monaſterio ſanctæ Columbæ in oratorio S. Martini ſepulto, Kal. Februarii; ubi fulſit miraculis; Wauterius I. ſucceſſit.* Eumdem miraculorum magnificentiâ conſpicuum adnotat Gaufridus à Collone ſub finem Tabulæ 26. & cui præiverant ſacra Dipthyca Eccleſiæ metropolitanæ: *Evrardus fuit monachus ſanctæ Columbæ .... ſepelitur in monaſterio S. Columbæ in oratorio S. Martini, ubi miraculis claruit ac refulſit.* Eum annuo pietatis cultu ineunte Februario celebrant Myſtæ Columbenſes.

53. WATHERIUS, al. GALTHERIUS I. Canonicus fuit majoris Eccleſiæ, *generoſi ſtemmatis nobilitate, & totius ſcientiæ eruditione clariſſimus*, inquit Giſlebertus apud Boſcium, quem Clarius & Gaufridus à Collone, Odorannum ſecuti, non minùs exornant. Huic cum reverentia Sacrorum non diſplicuit gloria militaris, nec temerari gladio viſa eſt manus quam armarent Dei jura & patriæ cauſa. Altero menſe ab Evrardi morte Pontifex Senonum eligitur anno 888. & ſequenti Odonem filium Roberti Fortis & Adelaidis in Regem Francorum & Aquitanorum inungit, pro cujus electione cum Francis, inquit Clarius, Burgundis & Aquitanis convenerat. Silent membranæ noſtræ, nec cauſas referunt alii Senonenſes cur Galtherus à Richardo Duce Burgundiæ carceri ſit mancipatus, & in eo novem menſibus detentus. Quo ſacrilegio commotus papa Formoſus, Ducem & complices anathemate prope feriendos pœnitere compulit & Pontifici ſoluto, datis tamen obſidibus, veniam precari. Opinantur quidam diris pontificiis fuiſſe devotos. Flodoardus Remenſis in Carmine de pontificibus Romanis, in Formoſo, de Galtheri cuſtodia ſic mœrens cecinit.

Digitized by Google

Eccleſiam ſolam Senonum paſtore gementem
Addicto latebris, damnando criminis auſu,
In Domino ſperare monet patienter acerba
Spe decoris ferre ætherei virtute Tonantis;
Fidere ſe proprio ſolandam Præſule viſo:
Si damnaſſe feros, patribuſque notaſſe terendos
Flamine Divino, ne quis dein talia tentet.
Miſſurum ſe Legatos, ubi tempora digna
Se tulerint; quis ſedentur hujuſce proceſſa.

Is paternæ ſolicitudinis vigor & affectus non obfuit quin aliàs idem Formoſus ipſi Galthero à canone deflectenti gravis fuerit & infenſus. Clericum ex aliena diœceſi accitum nec à Clero populoque probatum Eccleſiæ Treccenſi ſe ſolo dederat: quod improbans Papa, Ricueum canonicè poſtulatum promovit, referente Flodoardo ſubjectis verſibus:

Vualterium Senonum temerantem oracula legum
Corripit increpitans, Trecaſſina intulit urbi
Regmina non lecti cur Præſulis atque recepti
Ex alia Eccleſia contra decreta paterna.
Quem removens, lectum ſtatuit, moderamina tradit,
Sacratoque ſacrum Ricueo impertit honorem:
Nullus ut obſiſtat ſcitis, comitatur euntem.

Non diu pœnitentiæ ſuperſtes Richardus Burgundiæ dux obiit, & in monaſterio S. Columbæ ſepelitur in Oratorio S. Symphoriani, quod nunc ætatis S. Lupo Senonenſi nomen ceſſit. Simul his, ut eſt in chronico Ms. *Robertus princeps Francorum rebellans contra Carolum Simplicem unctus eſt in Regem per Vualtherium Archiepiſcopum.* Et paucis interjectis: *Habebat*, Robertus, *dum viveret ſororem Heberti in conjugio, de qua natus eſt Hugo Magnus. Carolus Simplex in carcere poſitus nobilem Rodulphum filium ducis Burgundiæ defuncti Richardi, quem de ſacro fonte levaverat, in Regnum ſublimavit, conſilio procerum: mortuoque Carolo Simplici in cuſtodia, Rodulphus unctus eſt in Regem apud Sueſſionem à Vuaterio Senonenſi tertio Idus Julii*: hicque triplici Regum inauguratione ſibi famam conciliavit apud omnes.

Ejus pro promovendis in melius ſtudiis monachorum zelus innotuit ex Concilii Senonenſis conſtitutionibus quas habes in

collectione Labbeana Conciliorum tomo 9. pag. 577. Eruditus noſter Mabillonius in præfatione ſui ſæculi S. Benedictini pag. 18. putat illas Galteri conſtitutiones à Galtero juniore decretas eſſe. In eis ille egregiè cavit pro ſanctimonia monialium: & ex Concilio Magduni ad Ligerim habito, in quo (verba ſunt Labbei) Valterio Senonenſi Archiepiſcopo deprecante ſancitum » eſt anno 891. Indict. 9. ne quis in poſterum Abbas ordinetur in » cœnobio S. Petri Senonenſis niſi quem ipſi monachi ſua diſpoſitione elegerint. Concilium iſtud non cuivis obvium hîc damus cum ſubſcriptionibus.

» Anno dominicæ Incarnationis 891. indictione nona celebra- » ta eſt Synodus in Magduno ſuper fluvium Ligeris in Eccle- » ſia B. Liſardi confeſſoris Chriſti regia juſſione glorioſi Regis » Odonis, diverſis Eccleſiarum Epiſcopis confluentibus: ubi cum » de diverſis Eccleſiæ utilitatibus & negotiis tractaretur, expo- » ſita eſt in omnium præſentia ratio Fratrum B. Petri Apoſtolo- » rum principis Cœnobii Senonenſis Eccleſiæ in ejus ſuburbio » conſtituti, dicentes ſe plurimum ex revolutis temporibus diſ- » criminis jacturam toleraſſe enormiter; idcirco quod eis à ſuis » pontificibus, Senonenſis videlicet Eccleſiæ præſidibus; multi » ex aliis Cœnobiis in prælaturam regiminis abbates conſtitue- » rentur. Quod utique quia præter Regulam B. Benedicti & in- » ſtitutionem Ss. canonum eſſe videbatur; ſancitum eſt à beatis » Pontificibus, monente, imò & deprecante ejuſdem loci vene- » rabili pontifice Gualterio Senonenſis Eccleſiæ, ut nullus dein- » ceps ordinaretur vel conſtitueretur Pater monaſterii, niſi quem » ipſi ſua diſpoſitione & libitu voluntatis ex ſuis eligerent. Quo- » circa præſenti privilegio ſolemniter à prædictis decretum eſt » præſulibus, ut quicumque temerarius hanc tantorum auctori- » tatem patrum præſumpſerit violare, ſub vinculo anathematis » habeatur &c. Omnium igitur manibus roboretur quòd omnium » conſenſu firmatur. Et ſubſcripſerunt omnes qui ibi aderant » Epiſcopi videlicet & Archiepiſcopi, quorum hæc ſunt nomina. » Gualterius immeritò ſanctæ Senon. Eccleſiæ archiepiſcopus » confirmavit.

Edacius Buturicenſis Eccleſiæ archiepiſcopus.
Hebernus Turonorum archiepiſcopus.
Herfridus epiſcopus.
Teodardus Narbonenſis Eccleſiæ archiepiſcopus.

Digitized by Google

Adalgarius Æduorum epiſcopus.
Herfredus epiſcopus.
Serupes Agiſmari maneat ſub nomine firma.
Eumenus Nivernenſis epiſcopus.
Glimerius Carnotum epiſcopus.
Adolenus Albiæ epiſcopus confirmavi.
Agilbertus gratia Dei Bituricenſis [*fortè Biterrenſis.. In quorum Indic. ab anno* 878. *ad* 1050. *nullus niſi Rodoaldus apud Claud. Robert. In Codic. noſtro anni milleſimi ſcribitur*] epiſcopus.
Walterius epiſcopus Aurelianenſis. [*Patruus hujus Senonici.*]
Biterrenſis.
Servus Dei humilis epiſcopus Gerondenſis.
Guarinus Coroacenſis epiſcopus.
Adaldus humilis archipræſul.
Obiit ex Chronico Ms. Galtherus anno quo Rodolphus unctus eſt in Regem ab eo, uti docent omnes antiqui Codices Viviani; quorum antiquior jam laudatus: *Mortuo Carolo Simplice in cuſtodia, Rodolphus unctus eſt in Regem apud Sueſſionem à Vvauterio Archiepiſcopo Senonenſi. Illo anno obiit Vvauterius Archiep.* XII. *Kal. Decembris, & ſepelitur in monaſterio S. Petri Vivi.* Anno 923. quem eidem lethalem aſſignat eminentiſſ. Cardinalis Baronius.

54. GALTHERUS. II. Sic idem chronicon tabulâ 27. à quo Gaufridus de Collone & alii: *Cui ſucceſſit Vvauterius nepos ſuus, Canonicus majoris Eccleſiæ. Vir nobilis genere, homo verſutus moribus, & ingenio callidus; honeſtus valdè & ab omnibus honorandus.* Et in Tabula ſequenti: *Iſte Vvauterius Senonenſis Archiepiſcopus laudabilis & honeſtus, pacificè rexit Eccleſiam. Plenus pace & bonis operibus obiit. In ſancti Petri monaſterio juxta avunculum ſuum ſepelitur. anno* 927. A Paganis interfectum ſcriptitant moderni, ſilent omnes antiqui.

55. AUDALDUS. al. ADALDUS. *Memoranda memoria* dicitur in Chronico Ms. & Eccleſiam ſeu Sacellum B. Mariæ, ad Templi majoris partem meridionalem, & ſub eodem tecto poſitum olim à S. Saviniano primo Præſule & martyre, renovaſſe: & ad ſtipendia canonicorum villam *Eurolles*, quæ tandem Decano obtigit conceſſiſſe. Vivis exceſſit poſt quinquennium ſedis, Sept. Kal. Octobris. Sepulturæ ejus locum ſibi vendicant Stephanienſes, Viviani & Columbenſes Myſtæ.

56. GUILIELMUS. I. Cœcutire voluit Tavellus cùm ſe fecit ancipitem de monachatu Viviano Guilielmi, quem diſertis
K iij

Digitized by Google

verbis aſſerunt Chronicon vetus Ms. Clarius, Gaufridus à Collone, poſt Odorannum, Buretellus, Coquinus, Cotronius, Claud. Robert. Sanctamartani &c. Natalem ejus ſedis notat vetus
„ Chronicon Ms. ad annum 933. Tum ait [Hugo magnus dux
„ cum Baronibus Francorum accerſiens Domnum Guilielmum
„ Archiepiſcopum Senonenſem miſit illum ad Oginam uxorem
„ defuncti Caroli Simplicis, quæ filia erat regis Anglorum, & fu-
„ gerat illuc ob timorem Heberti & Hugonis; ut inde reduce-
„ ret Ludovicum nomine, quem habebat filium ex Carolo Sim-
„ plice. Veniens illuc Domnus Guilielmus datis obſidibus O-
„ ginæ reginæ Francorum, reduxit Ludovicum filium in Fran-
„ ciam; & XIII. Kal. Julii unctus eſt in Regem apud Laudu-
„ num; anno 936. Hac celebri procerum Regni legatione ſuam ſuæque Senonenſis Eccleſiæ famam longius propagavit vir inclitus, & quantâ polleret oris facundiâ, mirè probant quæ coram ſuo principe, & prius ad Aldeſtanum Anglorum regem feliciter & intrepidè peroravit.

Anno 938. 9. Cal. Aprilis Hungaris Senonum ſuburbana fœ-
„ dè vaſtantibus [Cernens Sampſon Abbas & monachi S. Petri
„ Vivi malum hoc grande, conſilio accepto detulerunt corpora
„ SS. Saviniani & Potentiani cum ceteris SS. corporibus & Re-
„ liquiarum pignoribus cum magno honore in Eccleſiam ejuſdem
„ Abbatiæ infrà muros urbis conſtructam in honore ſancti Petri.
[*Eſt Eccleſia parochialis ſancti Petri de arce, vulgò* de Donjon, *à*
„ *Chlodoveo magno in diplomate fundationis data.*] Relictum verò
„ eſt corpus S. Serotini, quod minimè potuerunt incendere] Ad-
„ dit vetuſtius Chronicon [Oratorium S. Serotini nec per ignem,
„ nec per aliam deſtructionem deſtruere potuerunt, quia San-
„ ctus qui remanſerat ſuum locum tum defendebat. Pace Senonis
„ redditâ, monachi cum reliquiis ad ſuum Cœnobium reverti vo-
„ luerunt: ſed Domnus Guilielmus Archiepiſcopus qui eorum
„ monachus fuerat, eoſdem monachos verbis mellifluis deceperat
„ dicens. Melius eſt ut SS. martyrum Saviniani & Potentiani
„ reliquiæ in majori Eccleſiâ remaneant uſque ad tempus ſecu-
„ ritatis & pacis: dum verò pax reddita fuerit, voſmetipſi SS. Pi-
„ gnora reportate. Quod concedentibus monachis, Archiepiſco-
„ pus ſanctorum reliquias retinere cogitabat. Quomodo verò
„ retinere non potuit & reddidit monachis, in libro miraculo-
„ rum S. Saviniani in prædicto Monaſterio S. Petri poteritis inve-
„ nire] Nondum interiit fame blattarum & tinearum codex ille

Digitized by Google

venerandæ ſenectutis. Celeberrimum etiam eſt totâ Galliâ Sacellum illud, martyris cineribus & virtute languentibus notâ pretioſum; de quo plura diximus in Diſſertatione noſtra adverſus Johannem Launoium: & ut par eſt opinari cum doctiſſimo Sirmondo harum rerum peritiſſimo, nullum à ſe viſum in tota Gallia frequens aſſeruit, quod in erigendis Martyrum memoriis ſeu titulis primæ antiquitatis ſpeciem magis exhibeat.

Vitæ Guilielmi Senonenſis Præſulis hanc coronidem apponit vetus Chronicon Ms. *Receptis ſanctorum Martyrum reliquiis in monaſterio ſuo S. Petri Vivi, Domnus Guilielmus Archiepiſcopus obiit 19. Calendas Septembris anni 946. & in dicto monaſterio ſepelitur.* Textum hunc olim in originali codice clariſſ. viris Sanctamarthanis mihi perhumanè obviis oſtendi; nec perfunctoriè doluerunt primigenias hiſtoriæ Senonenſis ſchedas ſibi non potuiſſe, & hîc, ut in pluribus aliis, ad lubricam amanuenſium fidem & Tavelli dormitantis obſtetricias manus errori dediſſe, & Guilielmum hunc in Cœnobitico S. Columbæ fano tumulaſſe, qui in Viviano pacificè degit. *Quarto ſuæ ordinationis anno, 6. Idus Ianuarii primo gallorum cantu, ſancta Columbæ Monaſterium totum incenſum fuit: & 18. Calendas Februarii eodem menſe obiit Rodolphus rex, & ſepultus fuit in eodem Monaſterio. Multas poſſeſſiones cum ſacris Reliquiis, ornamentis, gemmis & theſauris reliquit dicto Monaſterio poſſidendas.* chronicon Ms. Eo regente, S. Odo, qui fuit primus abbas Cluniacenſis poſt S. Bernonem, fit etiam abbas S. Petri Vivi. De quo Clarius, inter alios. Sampſoni *ſucceſſit S Odo primus Cluniacenſis Cœnobii. Accerſiens igitur idem Odo Vvilieſmum Archiepiſcop. cum conſenſu monachorum S. Petri præfecit eidem Cœnobio Arigandum &c.*

57. GERLANUS. De eo omnes Chartæ antiquiores, quibus omnes Chronographi Senonenſes adhæſerunt, hæc paucis loquuntur cum Clario M. S. Tab. 31. *Anno ab Incarnatione Dominica 946. Domnus Gerlanus Monachus S. Germani Autiſſiodor. vir laudabilis, parentum proſapiâ mediocris, ſed philoſophiâ & moribus maximus, regendam poſtulatione Canonicorum Senonenſem ſuſcepit Eccleſiam.* Eum ad incitas egit Frotmundus qui Senonas arte ad deditionem coegerat: nam civitate privavit, & è Tractu Senonico excedere juſſit. Rebus perfunctoriè pacatis, ne Domus Viviana iterum prædæ pateret, in Baſilicæ majoris antiqua parte ſeu veſtibulo, turrim ingentis operis quadratis & politis lapidibus ut hactenus viſitur, hoc anno (quo currente prælo iſta ſcri-

Digitized by Google

bimus) ſuis ſumptibus conſtruxit ad munimen juxtà & ornatum; quæ ſuſtentandis etiam majoribus campanis & amplitudine ſua famoſis uſui fuit, donec in obſidione urbis ſub Henrico IV. tùm Rege Navarræ, jure belli diſtractæ, Pariſios deportatæ vili datæ ſunt venum Matriculariis ædis Parochialis S. Jacobi ad Laniarium. Ærumnis fractus & annis Gerlanus Autiſſiodori diem ultimum clauſit, & in ventrem Matris iteratò cupidus introire, ſepeliri voluit in celeberrima Divi Germani Baſilica nonis Auguſti anno 954. Hæc apud alios obvia paucis perſtringit chron. M. S. ante Clarium : *Obiit illo tempore Nonas Auguſti Domnus Gerlannus Archiepiſcopus, & in Monaſterio S. Germani Autiſſiod. ſepultus. Iſte ædificavit in Monaſterio S. Petri Vivi turrim opere polito.* Gravis difficultas oritur, quæ Sanctamarthanis & aliis Tabulariis communis eſt convenientibus de ætate Gerlani ſedentis. Mabillonius tamen ſæculi ſui quinti Benedictini pag. 908. Leonis Septimi Bullam, poſtrema parte mutilam allegat, in qua Pontifex ſcribit Gerlano Senon. Guiloni Lugdun. Tuteloni Turon. Gerunco Bituricens, Artaldo Remenſi &c. pro Floriacenſibus Monachiis ſub ſancto Odone Cluniacenſi. Verùm Leo VII. deſiit ante annum 940. Forſan pro *Gerlano*, reſtituendum venit *Guilielmo*, ut ſola initialis litera, ambobus communis, fuerit in originali Pontificio diplomate (quod frequentius accidit) & ab amanuenſi ſciolo nomen integrum exſcribente, unum pro altero ſuppoſitum fuerit.

58. HILDEMANNUS. al. HILDERAMNUS. De eo vetus Chron. M. S. *Anno ab incarnatione Dominica* 954. *ſuſcepit Hildemannus Monachus ſancti Dionyſii poſtulatione Canonicorum ad poſtulationem Ludovici Regis Francorum, tempore Agapiti II. Papæ regendam Eccleſiam Senonenſem. Illo anno obiit Ludovicus filius Karoli Simplicis, Rex Francorum; cujus tempus plenum fuit anguſtiis.* Juvat pro conſequentibus, reliqua contextûs proſequi, hiſtoriæ noſtrati & Senonenſium profutura. [Sequenti menſe 2. Idus Novembris Lotharius filius unctus eſt in Regem, & Hugo magnus factus eſt dux Francorum. Secundo anno poſt, obſedit Hugo Pictavis; ſed nimio terrore perterritus meritis Sancti Hilarii qui ſemper eſt defenſor illius civitatis, abinde fugiens receſſit..... Illo tempore obiit Otbertus Abbas S. Petri Vivi, & ſucceſſit Notramnus deſtructor illius Cœnobii. Nam poſſeſſiones, ornamenta, Eccleſias, & Villas vendidit & charitas diſſipavit. Ferrarienſis Monaſterii Abbas primò fuit. Sancti Remigii, S. Johannis

nis Monaſteria tenuit & ferè deſtruxit. Poſtea factus eſt Epiſcopus Nivernenſis vi & non merito. Illo tempore obiit Domnus Hildemannus, completis in Archiepiſcopatu annis 4. menſibus 10. diebus 19. Sepelitur in Monaſt. S. Petri Vivi.] Pro inſtauratione Monaſterii S. Petri Carnotenſis, quod antiquæ originis eſſe dignoſcitur, & à S. Bathilde Regina amplè ditatum, privilegio Monachorum ſubſcripſit cum Archiepiſcopo Turon. &c. Anno quinto Lotharii Regis, & poſtulante Hildemanno, fundatur Monaſterium S. Salvatoris ſub Regula S. Benedicti non longè à Braiaco Villa ſuper Sequanam [*Brai ſur Seine*] à Burchardo Montmorencio milite & Hildegarde uxore ejus : de quo ſic Chron. M. S. ad vicem Odoranni. [In illo tempore erat quidam miles Burchardus & uxor illius Ildegardis, qui habebant quamdam munitiunculam in pago Senonico ſuper Sequanam fluvium in loco qui vulgò dicitur *Braiacus* in locis paluſtribus. Ibi extruxerunt illi Cœnobium Monachorum in ſua hæreditate, in honore Domini Salvatoris; deferentes illic corpora SS. Paterni Martyris, & Pavatii Confeſſoris.] Poſt aliquot annos, inquit idem Chronicon, erat quidam miles Boſo nomine, raptor fortiſſimus verſutuſque moribus, qui ingreſſus in munitiunculam Domini Burchardi apud Braiacum deprædatus eſt cunctam provinciam vivente adhuc Hildegarde uxore ſupradicti Burchardi. Igitur Rainardus Comes indignatus ſuper hac re, incendit munitiunculam ipſam (capto Boſone) cum Baſilica noſtri Salvatoris; deferens inde Reliquias Eccleſiæ cum corporibus SS. Paterni & Pavatii in turrim Senonicæ civitatis. Poſtea verò reddidit ea per deprecationem Thetbaldi Comitis, ſub cujus dominatione idem locus eſſe videtur.] Qui Paternus Romanis Dipthycis inſcriptus Monachus fuerat S. Petri Vivi; quem laurea Martyrii donatum circa annum 727. novis iterum honoribus Eccleſiæ, corporis ejus Tranſlatione die 23. Septemb. anni 1685. ſic ordinante Illuſtriſſ. Johanne de Montpezat Senon. Præſule, & ingenti populorum accurſu Deus commendavit.

Cæterùm non hîc prætereundum fœdum eſſe nævum in Hiſtoria præſulum Cenomanenſium, cui doctiſſimi duo, Courvaiſerius Regius prætor Cenomanis, & Johannes Bondonnetus ibidem Benedictinus Aſceta ſuam hac ætate operam navaverunt : qui S. Pavatium Epiſcopum Cenomanenſem, eum eſſe putant cujus pars corporis in Baſilica S. Salvatoris Braïo-Sequanenſi : altera in Eccleſia parochiali Caſtri Rainardi religiosè coluntur in Diœceſi

Senonenſi. Hæc patrum fides ſic hactenus induruit & callum obduxit. Verùm ex Diplomate mox ſubjiciendo Lotharii Regis anni 958. certum habetur Pavatium illum jam Senonicum ab eodem anno tranſlatum fuiſſe ex Monaſterio Perſorenſi in Anglia, ſito in Tractu Vvigornienſi; cujus initium ſpectat annum 680. & ejus inſtauratio cladibus bellorum attriti ſæculo decimo contigit. Nec ſilentibus omnibus credibile fiet Pavatii epiſcopi corpus Cenomanis Perſoram devectum fuiſſe, & inde ad Gallos reductum. Præterea in charta Lothariana nullo ei præſulatûs dignitas aſſeritur, quæ donarium Burchardo factum mirè commendaſſet. Adde quòd in illis Eccleſiis cùm parochiali tùm clauſtrali, quas prudens inviſi, nullus de Pavatio Cenomanenſi, nullum, quod juris ſit, documentum palam eſt. Sequens verò, contrarium evincere videtur, ab eruditiſſimo Mabillonio, ad fidem autographi à ſe viſi relatum, quod extat apud Clariſſ. V. Robertum Hubert Eccleſiæ ſancti Aniani Aurelianenſis Præcentorem: cui affixum eſt ſigillum Regis, cum ejus imagine in ſolio ſedentis.

„ Lotharius Dei gratia Francorum Rex. Notum fieri volu-
„ mus fidelibus noſtris, quod Burchardus miles, filius Alberi-
„ ci Ducis, adiit ſerenitatem noſtram, obſecrans ut quoddam Mo-
„ naſterium quod ipſe conſtituerat de conſenſu Hildegardis
„ uxoris ejus, & de conſilio Theobaldi Domini de Centum-
„ liis fratris ejus, ſuper Sequanam fluvium prope Braiacum in
„ honore Domini Salvatoris, ad collocandum, ſervandum &
„ colendum corpora SS. Paterni Martyris, & Pavatii Confeſ-
„ ſoris; quod ultimum corpus ex Anglia attulit cum aliquibus
„ Religioſis quos auunculus ejus Rex Ædredus ei dederat de
„ Cœnobio de *Perſora*, ut ſtabilirentur & ſervirent Deo in dicto
„ Monaſterio ſub profeſſione Regulæ S. Benedicti: & nos in
„ perpetuum ſtabile & firmum fore concederemus, & noſtræ
„ Majeſtatis vigore corroboraremus quæcumque eidem loco
„ largiebantur de bonis ſuis ſine advocatione. Cujus petitioni
„ annuendo, præfatum Monaſterium inpoſterum ſtabile fore
„ ſtatuimus, firmando quoque conceſſimus; idipſum poſtulan-
„ te Domno Hilderamno Senonenſi Archiepiſcopo, ut locus ipſe
„ deinceps ſolutus ſit & quietus. Quæcumque verò à præfato
„ Burchardo eidem loco donata ſunt, Villam videlicet Braia-
„ cus, & duos molendinos apud Villam quæ dicitur Monſmo-
„ rentius, & ſervos & ancillas & cetera omnia, Monachi quie-
„ tè poſſideant ſine advocatione.

Digitized by Google

Ego Guido Cancellarius ad vicem Actoldi Archicancellarii Regii ſcripſi. Datum in palatio Laucduni Clavati apud Monaſterium S. Johannis 10 Decembris, anno 5. regnante Lothario Rege glorioſiſſimo.] Hic Artoldus Archicancellarius Remorum Archiepiſcopus, anno 962. Odalricum habuit ſuæ ſedis & Cancellariæ ſucceſſorem.

Obiit Hildemannus anno 959. completis, inquit Chronic. M. S. in epiſcopatu annis 4. menſibus 10. diebus 19. Sepelitur in Monaſterio S. Petri Vivi.

159. ARCHEMBALDUS. Hîc Sanctamarthani [Archembaldus de Troïes, regia Proſapia ortus, Roberto Trecenſi comite è linea Viromanduenſi, & Aleide Burgunda, cognomine Vverra, auctore Tavello; ſed parentum potius quàm Dei probatus examine, & Rainaldi Comitis ſuffragio factus potentior; ad hæc non canonicâ electione nominatus die 24. Junii, conſecrationis tamen munus excipit anno circiter 959. à Johanne XII. ut refertur apud chronicon vetus Ms.] Noſtrum eſt Vivianum, quo jugiter clariſſ. fratres, Claudius Robertus, aliique ſpartham ſuam ornant. Illud mihi ad manum, ceteraque præſtantioris ævi, quibus ad fontes Hiſtoriæ ſedens plura, & citrà plagium depromere poſſem huic Elencho propè neceſſaria: niſi (quantum ad Archembaldum) pro pontificalis dignitatis reverentia malim potius aliorum verbis, quàm meis hujus proſequi pontificis indecora, & Vivianorum pudori conſulere, quibus ingratum ſemper erit patris verenda nudare. Conſule Tavellum Senonicum forenſis togæ privilegio tutum, liberiùs excurrentem: Sanctamarthanos veritati quàm præſuli propiores; Cl. Robert, Tabularios omnes Senonenſes, Buretellum &c. apud quos omnes peſſimè audit Archembaldus, hac S. Saviniani voce, tonitruo ingenti excepta in Refectorio S. Petri Vivi (ubi tumulatur) nudus interfectus: *Non patiemur amplius deſolari locum effuſione ſanguinis noſtri conſecratum.* E Capitulo Monachorum, ad Valvas Eccleſiæ, quâ ſpirat Aquilo, delatus Epitaphium habet eadem epigraphe conſpicuum. Anno Sedis obiit 9. menſ. 2. die uno 4. Cal. Septembris anno 96.

Egregium illud & poſteritati ſacrum quod Tavellus è noſtris eruit. [Hunc ita luxorioſè viventem quidam è numero Canonicorum pius & doctus, libertate maxima reprehendens ad frugem & ſanam mentem reducere eſt conatus. Nam in Eccleſia Monaſterii ſancti Petri *Vivi* forte ambulantem (quo in Mona-

ſterio habitare ut plurimùm erat ſolitus ſtipatus armatis & militibus) nolentem compulit legere Epitaphium Theodechildis Reginæ filiæ Chlodovei Primi illius Monaſterii fundatricis, lapidi inſculptum, quod incipit:

Hunc Regina locum Monachis conſtruxit ab imo
Techildis, rebus nobilitando ſuis.

» Tùm, inquit, non canibus & accipitribus, & in gratiam » impudicarum mulierum conſtructum eſt hoc Cœnobium; ſed » in gratiam Monachorum, ut ibi divinis laudibus vacent: Tu » autem hóc Monaſterium velut ſpeluncam facis latronum, » &c.]

Deflexit à vero Mabillonius, ſed pro ingenita ſibi in omnes animi facilitate & in Archembaldum benevolentia. Non neſcivit eum omnibus verè piis infenſum; & in res Canonicorum, & Monaſteriorum maximè Viviani ſævius debacchatum, in quo una nocte duodecim peremit, ceteros fugavit. Hæc & plura amicæ ſibi domus & familiaris, quam intimè viſit, virum non latuerunt probè ſcientem & oculatum; tomo tamen ſeu Sæculo. Actorum Benedictinorum pag. Archembaldum Senon. Archiepiſcopum memorat, & extollit inter eos quibus Abbatia S. Petri Vivi & Monaſticus Ordo regulariter propagandus mirè cordi fuerunt.

60. S. ANASTASIUS, al. Anſtaſius patrem habuit Augeriaci dominum propè Pruvinum. Vix meliori penicillo delineari poſſunt ſanctiſſimi præſulis geſta moreſque, quàm quo vetus Chronicon Senonenſe M. S. in quod intenderunt alii, ſed ſuperficie tenus, ea deſcripſit. Dolendum quod venerabiles primatialis Eccleſiæ Senonenſis Canonici ad meridianam tanti Pontificis lucem cœcutierint, aut eam ad ipſum hiſtoriæ patriæ fontem prope ſedentes ignorarint: quibus geſtorum veritatem aſſecutis non excidiſſet votivis eorum honoribus (præſertim in recognitione Breviarii anni 1641.) tantus vir quos ſua ſanctitate & amplo penu dignatus eſt. Sic porrò vetus Codex M. S. ex quo Clarius partim à nobis editus, Monachus Præmonſtrat. ſeu Autiſſiodorenſis, Gaufridus à Collone, alter Gaufridus Hyron, Buretellus, Coquinus, Sanctamarthani &c.

[Anno ab incarnatione Dominica 966. vel 968. Iſte Domnus » Anaſtaſius ſanctus & innocens prece Lotharii Regis anno ejus » 15. conſecratur apud Apugniacum 18. Cal. Januarii. Et quia

Romæ adhuc durabat turbatio, ideo à Suffraganeis conſecra- «
tur...... Illo tempore tribulationis iſte Anaſtaſius conſecra- «
tus fuit, & 2. Dominica de Aduentu Domini ſuſceptus. Cœ- «
pit agere quæ Dei ſunt; erat enim miræ ſanctitatis & abſti- «
nentiæ, vigiliarum amator continuus, eleemoſynarum di- «
ſtributor largiſſimus, nutritor & doctor Clericorum; ama- «
tor Monachorum, & præcipuè S. Petri Vivi quos revocabat «
à diſperſione Archambaudi,& à deſtructione Notramni epiſ- «
copi Nivernenſis qui abbas fuerat. Erat Anaſtaſius mœren- «
tium conſolator piiſſimus; pauperum, orphanorum & vidua- «
rum pater humilis,& utilis procurator pro omnibus de grege «
ſuo. Et omnibus ad ſe pro neceſſitate ſupervenientibus co- «
ram Rege & Principibus ſe ponebat; non timens hominum «
poteſtatem, cupiens quod ſui intererat adimplere. Ab illo die «
quo ſacerdotium ſumpſit uſque ad finem, carnes non come- «
dit, nec indutus eſt lino ſed cilicio; multam etiam perſecu- «
tionem ſuſtinuit patienter à Rainardo comite Vetulo & ab «
aliis non Deum timentibus. «

Nocte quadam apparuit ei S. Savinianus ut reædificaret «
Eccleſiam ſancti Petri Vivi, quod incepit & perfeciſſet, niſi «
tam citò ex hoc ſæculo migraſſet. Ædificavit Eccleſiam B. Ma- «
riæ hæreditate ſua in villa quæ Augeriacus dicitur, & man- «
ſit ibi in domo ſua vacans orationibus nocte ac die; quam «
Ecleſiam cum hereditate dedit majori Eccleſiæ Senon. Aſ- «
portavit ibi corpus B. Victoris martyris, ſocii S. Mauritii «
de Bruorea villa S. Stephani Senon. Corpus illius ſancti at- «
tulerat Senonas Vuricarius Archiepiſcopus, & illud impe- «
traverat magnis precibus ab abbate & fratribus Cœnobii A- «
gaunenſis, & in majorem Eccleſiam collocaverat conſervan- «
dum. Sed poſtea Canonici detulerunt in dictam villam de «
Bruora eo quòd homines illius pagi hæreditates illius ſancti «
detinebant Quo ſancto in villa recepto timore & virtute «
ſancti vel reſtituerunt, vel eodem anno malè finierunt. Man- «
ſit in illa villa corpus dicti ſancti uſque ad ſancti Anaſtaſii, «
qui illud poſuit in villa de Augeriaco, ubi manſit uſque ad «
tempus Domni Sevini Archiep. qui tranſtulit illud Senonis «
in majorem Eccleſiam in qua nunc Dei gratiâ conſervatur. «

Domnus Anaſtaſius reſtauravit Eccleſiam perficiens can- «
cellos & medietatem Eccleſiæ. Dedit Canonicis villas & Ec- «
cleſias quas jure hæreditario poſſidebat. Multis ſiquidem or- «

Digitized by Google

» natus virtutibus migravit à ſæculo media nocte Dominica
» 7. Idus Januarii anno Domini 978. regnante Lothario rege
» Francorum, imperante Romæ Ottone II. anno primo, ſum-
» mo Pontifice ſedente Bonifacio VII. [*fuit Antipapa, ſed ſedit Be-*
» *ned. VII.*] ..... Sepelitur in Monaſterio S. Petri Vivi in quo
» tunc temporis mos erat archiepiſcopos & ſuos famulos ſepe-
» liri...... Habebat idem venerabilis pater ſororem in Mona-
» ſterio ſanctæ Faræ, cui apparuit Angelus Domini nocte obi-
» tus illius patris, dicens: Cur tardatis & non ſurgitis laudare
» Chriſtum; ſciatis quia hac nocte Anſtaſius Chriſti confeſ-
» ſor tranſiit ex hoc mundo, & ſemper gaudebit in Domino Sal-
» vatore. Tunc ſurrexerunt Dei ſacratæ, & ſicuti de uno Con-
» feſſore officium compleverunt: notataque horâ, miſerunt Se-
» nonas hujus rei inquirere veritatem, & obitum invenerunt ſi-
» cut Dei ancilla viderat viſionem. Poſt tranſitum vero iſtius
» fuit, *Eccleſia Senonenſis*, abſque benedictione Pontificis uſque
» 3. Idus Junii, reſiſtente Rainardo comite Senonenſi.]

61. SEGUINUS, al. SEVINUS, al. SEUBINUS. Sanctiſſi-
mo Præſuli decus aliud eximium ſucceſſit; cujus vitæ quan-
dam ſynopſin ſic exhibet vetus Chronicon Vivianum, à Cla-
rio poſtea novis apicibus & additamentis expolitum ſub Lu-
dovico VI.

» [Anno ab Incarnatione Dominica 978. 3. Idus Junii con-
» ſecratus eſt Domnus Sevinus, nobilis vir, genere & moribus
» honeſtus, in Eccleſia S. Stephani Autiſſiod. quia illo tempore
» erat turbatio Romæ inter Papam Bonifacium VII. [*Franco*
» *Antipap.*] & Imperatorem & quoſdam Romanos. Tamen eo-
» dem anno quo Domnus Sevinus conſecratus fuit, Benedi-
» ctus VII. Romanus factus eſt Papa [*melius anno ejus tertio.*] ..
» ... Illo tempore erat Remis Arnulphus Archiepiſcopus, vir
» honorabilis, bonus, laudabilis & honeſtus ac modeſtus, fra-
» ter Lotharii regis ex concubina. Hugo autem Rex invidebat
» ei, volens eum exterminare cum progenie Lotharii. Con-
» gregavit tunc Hugo epiſcopos in urbe Remenſi, inter quos
» fuit Domnus Senonenſis cum ſuffraganeis & ibi fecerunt de-
» ponere dictum Arnulphum, non conſentiente Domno Sevi-
» no, In loco autem ſui fecit Rex conſecrare magiſtrum Ger-
» bertum monachum, philoſophum &...... qui pedagogus
» fuerat Roberti regis filii Hugonis, & Leotherici, poſt Dom-
» num Senonenſem, Archiepiſcopi Senonenſis. Rex Hugo fecit

Digitized by Google

Aurelianis incarcerari Arnulphum Remenſem Archiepiſco- «
pum cum nepote Carolo legitimo hærede regni. Nuntiantur «
hæc Benedicto Papæ VII. qui interdixit Epiſcopos qui Arnul- «
phum dejecerant, & ordinaverant Gerbertum : miſitque «
Domnus Papa Leonem Abbatem ad Domnum Sevinum ar- «
chiepiſcopum ut vice ſua Remis Synodum congregaret ; «
mandans illi ut arnulphum Remis reſtitueret, & Gerbertum «
deponeret ; quod factum eſt. Poſt hæc Gerbertus factus eſt «
Pontifex Ravennæ per Ottonem II. Imperatorem, quem ſcien- «
tia erudierat, ... Sevino reſiſtebat Rainardus Comes timens «
perdere civitatem, negans eidem introitum civitatis. Erat «
ſiquidem Archiepiſcopus nobiliſſimus genere & fortior ; ta- «
men armis uti nolebat: ſed Comitem excommunicavit & pro- «
vinciam interdixit à Calendis Octobris uſque ad caput Je- «
junii. Ipſo denique die receptus fuit in Senonicam majorem «
Eccleſiam cum maximo gaudio & honore. Idem Archiepiſ- «
copus erat filius ſororis prædicti Rainardi Comitis per quem «
multa paſſus eſt patienter, quamvis ex paterna parentela for- «
tior eſſet. «

Eodem anno facta eſt magna mortalitas hominum ; de- «
functus eſt Iſembardus nobiliſſimus, frater Archiepiſcopi, «
Idibus Aprilis. [*ſepultus ad S. Petrum Vivum*] Domnus Sevi- «
nus reſtauravit Cœnobium S. Petri Vivi, ponens in illo Ab- «
batem nepotem ſuum nomine Rainardum, monachum S. Co- «
lumbæ virum religioſum. Retinuit dictus Archiepiſcopus «
quaſdam poſſeſſiones S. Petri non cupiditate, ſed neceſſita- «
te ; quia Archembaldus obligaverat laïcis poſſeſſiones S. Ste- «
phani. Propter quod fecit etiam idem Sevinus majorem Ec- «
cleſiam & dedicavit VI. anno ordinationis ſuæ, 3. nonas Octo- «
bris. Ipſa die dedit quaſdam Eccleſias & villas ad ſtipendia «
Canonicorum quas jure hæreditario poſſidebat. «

Ab illo die quo Sacerdotium ſumpſit uſque ad tranſitum «
carnes non comedit, vel lino uſus eſt deſubter. Iſtam verò «
dedicationem majoris Eccleſiæ celebravit Domnus Sevinus «
præſentibus Heriberto Autiſſiodorenſi & Rocleno Nivernen- «
ſi Epiſcopis cum honore maximo. Signis & ornamentis eccle- «
ſiaſticis ipſam majorem Eccleſiam decoravit. Brachium quo- «
que S. Leonis Papæ doctoris, cum reliquiis de digitis S. Eb- «
bonis à Rainardo Abbate S. Petri obtinuit, & majori Eccle- «
ſiæ condonavit. «

Digitized by Google

Brachium iſtud Româ Senonas olim delatum ab Anſegiſo Primate Senonenſi, & monacho S. Petri Vivi, eidem Monaſterio conceſſum ab eo, & à Canonicis S. Stephani, alterius commutatione, reſtitutum, hac ætate furtim ſublatum à Berthelino Sacerdote, & quarumdam Senonenſium monialium Confeſſario, ab eis injurioſè detinetur cum lapide marmoreo in Baſilicæ S. Petri Vivi mirabili conſecratione à Chriſto Domino viſibiliter peractâ, ſacris Eccleſiæ ſtigmatibus impreſſo. Cujus Baſilicæ Vivianæ encænia ſingulis annis recolunt Canonici Cathedrales, & monachi dicti loci ſuis in diptycis, conceſſâ etiam à prima ſede plenariâ gratiarum indulgentiâ, & à Chriſtianiſſimis regibus ſingulari Fiſci relaxationum indulto tribus diebus quibus etiamnum illius Baſilicæ Cœnobiticæ dedicatio celebratur.

» Privilegio quoque fecit, *id eſt confirmavit*, Monaſterio S. Pe-
» tri de altariis S. Saviniani in Burgo, S. Sanctiani in vineis
» [*in diplomate Clodovei primi conceſſa ſunt*] ſancti Petri, de Alſa-
» no, & S. Lupi de Naudo, de conſilio Coëpiſcoporum, & conſen-
» tiente Domino Papa Joanne XV. [*anno ejus* 4.] Decrevitque
» Domnus Sevinus ut Abbas S. Petri poſt Epiſcopos primus ſedeat.
» Tabulam auream & argenteam ante altare S. Stephani conſtru-
» xit, de qua poſtea ante *majorem Eccleſiam* facta eſt turris mi-
» ræ & famoſæ altitudinis. Iſte Domnus Sevinus apud Romam
» per manum Johannis Papæ Archiepiſcopale pallium & Prima-
» tum totius Galliæ ſuſcepit....... Antequam pallium recepiſ-
» ſet jacebat in refectorio monachorum ſancti Petri Vivi. Die
» Ss. Johannis & Pauli dum ſe ſopori dediſſet, apparuit ei S. Sa-
» vinianus dicens: *Quare locum noſtrum non reſtauras? Quare poſ-
» ſeſſiones noſtri Cœnobii retines?* Ad hoc [*Hæc omnia etiam habet
» chron. Autiſſiod. Roberti Præmonſtratenſis*] expergefactus ſurre-
» xit & ad monachos adiit, & proſtratus coràm eis, veniam pre-
» cabatur, reddenſque eis poſſeſſiones, rediit in civitatem. Di-
» xerunt ſui, Unde vivere poſſimus? Reſpondit, Deus paſcet
» pauperes ſuos; ſuſtentabor patrimonio meo uſquequò Deus
» reſtituat ſancto Stephano poſſeſſiones ſuas. Verè & factum eſt,
» ut infrà annum omnes poſſeſſores morerentur. Tunc Archie-
» piſcopus in domo juxta Eccleſiam quam tunc Epiſcopus ædifica-
» vit, habitavit, ut filii Eccleſiæ venientes Archiepiſcopum in-
» venirent.

Monaſterium S. Petri Melodunenſe ad Sequanam ab imis renovavit

novavit, ſed non primitùs ædificavit, ut prudens advertit Ordericus Vitalis lib. 7. Hiſtoriæ. Intereſt etiam ſuiſque manibus exequitur novam corporis tranſlationem S. Aigulphi monachi & martyris, è Floriacenſi Cœnobio ad Pruvinenſe ſeu Agendicum in Senonenſi tractu delati. Ex cujus Hiſtoria in veteri codice Remigiano Remenſi, iſta tantum excerpimus. [Retecto igitur mauſolæo dirigunt ſumma cum feſtinatione ad Dominum Archiepiſcopum Sevinum Legatos qui ei hæc omnia narrant. Quod ille audiens convocatis Abbatibus, Idramando Abbate nepote ſuo, viro probis moribus decorato; & Abbate S. Remigii domno Winemanno viro religioſo; & Archidiaconorum nobiliſſimo Domno Leoterico qui ei in regimine Archiepiſcopatus digniſſimus ſucceſſor extitit; plurimis etiam clericorum & multitudine plebeia populorum, dux ſacer egregius ire perrexit ad Eccleſiam in qua ſanctorum oſſium digna congeries erat repoſita. Dum revolvit cum diligentia coopercu-lum, intuetur capſam ligneam ſanctis oſſibus confertam. Mox ædificari jubet Cryptolam lapideam, in qua ſacrum corpus per manus Archiepiſcopi depoſitum eſt.] Levavit etiam ex humo in Baſilica S. Petri Vivi anno 980. corpus ſancti Ebbonis Archiepiſcopi Senonenſis, cujus veſtes ſacras integras invenit ab anno 744. humi jacentes: cujus planeta ſeu infula ex ſerico totum corpus ambiens & talos uſque protenſa ſingulis annis in ejus feſtivitatibus uſui eſt pro ſacrificio Miſſæ. Sed corrigendus veterum Chronicorum calculus, ducentos tantùm & viginti ſex annos inhumationi ſacri corporis aſſignans, quòd citrà dubium ab anno 744. ad 980. jacuit in Oratorio B. Virginis, Baſili-Viviaræ.

Ejus temporè Monaſterium S. Petri Vivi, præſide Rainardo ejus nepote ſanctitatis & litterarum famâ quæ in eo publicè docebantur, celeberrimum fuit, & ut habet ipſius Rainardi epitaphium, *Matris Eccleſiæ Senonenſis Seminarium fuit*, ex quo tunc ætatis plurimi prodierunt apice ſcientiarum inſignes, quos inter Odorannus ſcriptis ſuis & amicitia Roberti regis inclitus. Vide Trith. in Chronico Hirſaug. & Abbatem Valliſolet. Centuriâ primâ; quibus præter Senonenſes Tabularios præiverat Robertus Autiſſiodorenſis in ſuâ Chronologiâ.

Quo, inter cetera, Seguini fama prævaluit, pius eſt in Romanam Eccleſiam omnium matrem affectus & grati animi obſequium, in cauſa præſertim Arnulphi Remenſis Epiſcopi, quæ

favore Principis ceterorum Antiſtitum ſtudiis tandem divexata ; Senonenſis, primarii in ea judicis, conſtantiam frangere non potuit. Stetit ad petram immobilis Sevinus, & quâ pollebat oris facundiâ & animi vigore, Remenſis Concilii patres ad orbitam reduxit, & illæſa Majeſtate, ſibi tamen iratâ, Gerbertum Remenſi ſede excedere juſſit & Arnulphum reſtitui. Minaces ei literas ſcripſit Gerbertus & in Apoſtolicam Sedem virulentas,
Lib. 5. cap. 45. quibus Seguini virtus magis emicuit, & his apud Aimoinum, in appendice, verbis laudata, pari conſenſu cum illis ſuprà relatis ex chronico M. S. *Venerabilis Seguinus non conſenſit in degradationem Arnulphi, neque in ordinationem Gerberti. Juſſio autem Regis urgebat. Alii vero Epiſcopi licet inuiti, tamen propter timorem Regis degradaverunt Arnulphum & ordinaverunt Gerbertum. Seguinus tamen plus timens Deum quam terrenum Regem, noluit conſentire nequitia Regis; ſed magis quantùm potuit redarguit ipſum Regem: propter quam cauſam ira Regis contra eum efferbuit.* Sed quam jejunis odiis probat ipſa Arnulphi ſuam in ſedem reſtitutio, & ipſo rivali agente Gerberto, qui à Remenſi excidio ad Ravennatis Eccleſiæ infulas precariò tranſlatus, tandemque ad primæ Sedis ſolium evectus, ut primum Apoſtolicæ Petræ ſe vidit innixum, priſtinæ conditionis humanæ pertæſus veritati & juſtitiæ (quam ſemper coluit Cathedra Petri) obſequi, ſibi duxit in votis præcipuum.

De ſeditione in eum & alios Dionyſiani Conſeſſus Epiſcopos à vulgi colluvie commota, mærent hactenus noſtratis Hiſtoriæ monumenta. Fugâ ſibi conſuluerunt ſacri proceres. Pacis qui præſidebat Seguinus ſtudioſior, dum plebem immodice debacchantem mitigare tentat, cœno perfuſus, & ſecuri inter ſcapulas graviter ictus, tantumnon interiit. Abbonem Floriacenſem Abbatem, ut auctorem tantæ ſeditionis inſimulatum placet audire in Apologetico ſuo ad Hugonem & Robertum Reges, in quo Seguinum talis reatûs inſontem maximè commendat. [Cui ſen-
Cui. » tentiæ Canonum contradixi, qui in illo Concilio vix librum videre potui ? An Concilium illud fuit ubi conciliati venerunt & » diſconciliati receſſerunt, cum ibi diſcordes reconciliari de» buerint aut canonica diſtrictione mulctari ? Qui in me ſingulari» ter commiſerunt Epiſcopi, ut eis ſaltem cogitatione obeſſe vo» luerim ; præſertim cùm non inimicum ſed fide & opere amiciſſi» mum graviora pericula pertuliſſè contigerit. [*Seguinum loquitur*] » Ecce coram Deo in Chriſto non mentior, quia audita inſequen» tium conclamatione, ultrà quàm dici poſſit indolui recorda-

Digitized by Google

tus priſtinæ amicitiæ ac beneficiorum tanti viri, cujus nix vene- «
randum caput oſtendit exceptâ primatus prærogativâ & Sacer- «
dotali infuſâ.] «

De primatu Baſilicæ S. Petri Vivi ſuprà ceteras ampliſſimæ Diæceſeos, poſt Metropolitanam, quem ſuperius codex Ms. optimæ notæ ſtrictim memoravit; ne ſuſpecta ſit domeſtica fides, hîc paucis fulcienda teſtibus extraneis qui publicæ veritati manum obſidem præbuêre: quos inter Robertus Autiſſiodorenſis in chronico edito anno 1608. fol. 73. verſo: *Decrevit etiam hic Sevinus ut Abbas S. Petri Vivi in conventu Abbatum vel Clericorum poſt Epiſcopum primus ſedeat, & inter ceteros ejuſdem Epiſcopatus Abbates primatum teneat: ejus verò eſt providere ut dignus ſit tali honore.*. Eadem habet Petrus Coquinus Eccleſiæ Metropolit. preſbyter, eique à ſcriniis & commentariis, in chronico Ms. pag. 133. mei Codicis. Buretellus Senonenſis Hiſtoriographus. Renatus Chopin Monaſt. libro 1. titulo 3. n. 17. aliique. Hoc clara privilegio Domus Viviana & conventualis hactenus prima ſedet poſt Stephanienſes in ſacris Cleri conſeſſibus invito nemine. Et ubi novandi pruritu quidam ſecus tentarunt, contradictorio, ut vocant, Senatûs Pariſienſis Decreto die 13. Maii anni 1653. eum ordinem ſequi damnantur cum in inceſſu publicarum ſupplicationum, tùm in Comitiis generalibus utriuſque fori quem prima patrum ætas ſancivit. Nec Seguino prima ſuæ dignitatis encænia debet Cœnobium VIVI; eam ſibi vendicat ab antiquitate loci Saviniani primi præſulis & Martyris ſudoribus & ſanguine celebris; à fundatione Monaſterii pia Chlodovei Primi inter Francos Chriſtianiſſimi Regis, munificentia excitati; à cœleſti & miraculoſa Baſilicæ inauguratione, quam ſacra clamant jugiter Eccleſiarum Dipthyca, & antiqua Regni monumenta; ab inſtallatione Senonenſium præſulum ſuis in penetralibus primùm accurata; & eorum ſepultura, quorum cineribus tumens ad quadraginta & inſuper tumulos, ut olim præfati ſumus, Viviana tellus aſſurgit. Denique, (quod mox dicebamus) quod Eccleſiæ majoris ſeminarium fuit, quamdiu cum literis ſanctitas potuit convenire.

Cæterùm non inutili parergo juverit hîc annotare lepidum eſſe mendum apud recentiores hiſtoricos occaſione Tabulæ aureæ, quam à ſe donatam Seguinus collocari fecit in Altari ſancti Stephani, *de qua poſtmodum* inquit Odorannus aliique veteres cum ſchedis noſtris, *ante Monaſterium facta eſt turris.* Sic etiam Præ-

Digitized by Google

monſtratenſis in chronico. Cotronius, Galtherus & quidam alii non aſſecuti vim hujus vocis *Monaſterium* apud auctores mediæ ætatis, opinati ſunt antiquius Chronicon noſtrum M. S. (quod fons aliis & origo Hiſtoriæ Senonenſis) intelligendum eſſe de Monaſterio Viviano, & de Altari S. Stephani ad partem ſeptentrionalem abſidis illius Baſilicæ hactenus extante; non autem de majori Templo S. Stephani. Ridet [Cotronius pag. 438. ſui chronici] imperitiam aliorum & præſertim Gaufridi à Collone probè tamen ſcribentis ſed aliis verbis. Relatis Odoranni verbis, qui *Monaſterium* poſuit, hæc addit vir optimè bonus: [Quibus ta- „ men repugnans Gaufridus à Collone hîc allucinatus eſt dicens, „ quòd ex illa Sevini Tabula argentea & aurea ante Altare S. Ste- „ phani conſtructa; poſtea ante matrem Eccleſiam facta ſit turris „ miræ & famoſæ altitudinis. Sed ineptè ſane explicuit auctorita- „ tem de majori Baſilica S. Stephani; cum præſentim tres præfati „ Chronologiſtæ, in primiſque Odorannus qui hac vivebat ætate, „ ipſo multùm anteriores, de turri duntaxat ante hoc [*S. Petri* „ *Vivi in quo ſcribebat Cotronius*] Monaſterium extructa, itidem- „ que de Altari S. Protomartyris Stephani, quod eſt in ſacello ad „ ſeptentrionalem majoris altaris plagam apud idem Monaſte- „ rium ædificato, ſermonem formaliſſimè habeant] Lepidum, inquam mendum, cùm omnibus probè ſcientibus certiſſimum ſit *Monaſterium* frequentiùs uſurpari pro Eccleſia Cathedrali, ut apud Baldricum in chron. l. 3. c. 4. & 48. Cameracenſis & Atrebatenſis major Eccleſia vocantur Monaſterium: uſu adhuc ſervato apud Germanos in nobilioribus eorum Eccleſiis. Sic apud Marianum Scotum anno 1081. Cathedralis Moguntina *Monaſterium* vocatur, & apud Dodechinum anno 1137. In vita S. Vvillibaldi cap. 38. §. 5. *Et ſtatim properans ad Monaſterium Cathedralis Eccleſiæ, S. Willibaldo perpetuam continentiam vovit.* Plura videſis apud eruditiſſimum Cangium in Gloſſario, qui notat Eccleſias illas Cathedrales olim *Monaſteria* dici, *quod pleriſque in Eccleſiis Cathedralibus Monachi, ut hodie Canonici, olim ſacra munia obirent.* Non pauca in hanc rem congeſſit etiam Mabillonius; & ex Codicibus noſtris non ignoti ſenii hîc coram plura prodirent, ſi ad meridiem fax accendi deberet.

Seguinus crebra fortunæ negotia æquo ſemper animo feliciter expertus, ſenio virtutis & ætatis cœlo maturus, ad illud tranſiit. 6. Calend. Novembris Indict. 14. jam inchoato à quinque menſibus aut circiter vigeſimo ſecundo ſui Sacerdotii anno, & more Majo-

Digitized by Google

rum, eo præcipiente, ſepelitur in Capitulo S. Petri Vivi, *ubi mos eſt*, inquit Chronicon Autiſſiodor. *Archiepiſcopos ſepeliri.* Inde tamen pietate Monachorum tranſlatus in majorem ſui Cænobii Baſilicam in ſacello B. Mariæ Virginis,ibique detectus ætate Tavelli, cujus hæc verba pag. 63. *Noſtris temporibus in Eccleſia S. Petri in Sacello D. Virginis inventum eſt plumbeum ſepulchrum cui ſuperaddita erat ſcriptura continens in eo eſſe Sevini Archiepiſcopi oſſa* : hacque tranſlata eſſe non eſt *incredibile.* Tranſlata fuere à Gaufrido de Montigni Lancoup 38. Abbate Vivi anno 1278. cùm mirandum illud novæ Baſilicæ opus à fundamentis excitavit ; eoque anno ad primam ſecundæNaviscrepidinem protendit. Epitaphium Seguini ſatis obvium hîc tamen omitti non debuit.

Hic humilis tumulus meritò cunctis venerandus
Sevini membra continet egregia.
Angelicam cujus felix animam paradiſus
paſtorum ſancto poſſidet in numero.
Qui mitis ſancta pro Religionis honore,
Hac in Sede ſedens multa tulit patiens.
Jamque ſenex factus migravit in aſtra locandus,
Cui parcat petimus cunctipotens Dominus.

Ei Hugo Rex ſcribit ne Sacramentum fidelitatis ei reddere detrectet. Epiſtola eſt 107. inter Gerbertinas Tom. 3. Bibl. Patrum pag. 722. prima die Jan. anni 988. Aurelianis Robertum, Hugonis filium Regem inunxit, ut præter Chron. MS. Glaber & Charta Lemovicenſis advertunt.

62. LEOTHERICUS. al. LETRICUS. Et viri Sanctamarthani & qui præceſſêre,nihil antiquius nacti ſunt elucidandæ Leotherici Senonenſis hiſtoriæ quam vetus Chronicon VIVI & Odorannum partim impreſſum apud Ducheſnium, partim Ms. in eodem Senonico Cœnobio. Cujus Chronici antiquitatem in verbis forſan aſpernati, novam ſibi ſcribendi methodum invexêre. Saluo cujuſque judicio, ſatius duxi ea reddere Scriptoris verba quæ genuino vetuſtatis charactere majorem præ ſe ferunt teſſeram veritatis & fontes aperire, unde ceteri hauſerunt. Sic porrò Chronicon Tabulâ 36.

[Anno ab Incarnatione Dominica milleſſimo Domnus Leothericus nobilis genere ſed nobilior mente, Senonenſis Archi- « diaconus in Archiepiſcopum, acclamante Clero & populo, electus «

Digitized by Google

„ eit; contradicentibus quibuſdam Canonicis, qui Archiepiſcopa-
„ tum cupiebant. Quare Romam adiit, & receptus eſt honorificè
„ à Gerberto qui in Papatu Silveſter II. dicebatur: cujus diſci-
„ pulus Leothericus fuerat; & ab ipſo benedictionem & pallium
„ obtinuit & Primatum. Rediens verò Senonis receptus eſt cùm
„ gaudio & honore; contradicente tamen Frotmundo Comite,
„ qui Brunonem filium ſuum Archiepiſcopum volebat. Qua de
„ re Leothericus iterum Papam adiit. Qui Papa mittens Literas
„ ſuas ad Coepiſcopos præcepit ut Leothericum Archiep. recipe-
„ rent, quod & fecerunt anno milleſimo primo.
„ Anno Domini 1006. reliquiæ SS. Saviani ſociorumque ejus
„ quæ propter paganos à tempore Guilielmi I. Archiepiſc. in ter-
„ ra poſitæ fuerant in Monaſterio S. Petri VIVI per Domnum
„ Leothericum levatæ fuerunt, & illa die multis fulſêre miracu-
„ lis. Eodem anno reliquiæ quas Domnus Hieremias aſportave-
„ rat Senonis, per revelationem Angelicam inventæ fuerunt re-
„ trò Altare S. Stephani per Domnum Leothericum & levatæ:
„ quo loco ipſa die multæ curationes fuerunt.
„ Anno Domini 1015. Leothericus Archiepiſcopus tradidit Se-
„ nonum urbem Roberto Regi conſilio Domini Papæ Benedicti
„ VIII. qui adhuc vivebat, & conſilio Suffraganeorum & pro-
„ cerum. Nam Rainardus quotidie lædebat Archiepiſcopum, &
„ in faciem conſpuebat, & in poſterioribus pacem Pontifici dum
„ celebrabat, offerebat. Quamvis Pontifex nobilior genere &
„ fortior eſſet; tamen effundi nolebat ſanguinem ſubditorum.
„ Sed ad Regem adiit, & ſibi temporale ſuum ſuppoſuit, ut ipſo
„ Rege pace gauderet Eccleſia Senonenſis. Veniente autem Re-
„ ge cum exercitu, Comes nudus fugit & frater ſuus Frotmun-
„ dus. Et quid plura: Alii turrim Senonenſem intraverunt, de-
„ fendentes ſe multis diebus. Demum cepit eos Rex, & Aurelia-
„ nis in carcerem miſit, & ibi obiit Frotmundus. Eodem anno
„ obiit Rainardus Abbas S. Petri Vivi [*nepos Sevini Archiep.*]
„ ſuo Monaſterio relinquens Conventum laudabilem & famo-
„ ſum. Succeſſit Ingo vir nobilis religioſus & literatus conſan-
„ guineus Regis Roberti. Fuerat etiam Abbas S. Martini Maſſia-
„ cenſis, & S. Germani Pariſienſis; ſed cauſâ devotionis Senonas
„ venerat ad Monaſterium S. Petri Vivi, in quo vigebat religio-
„ nis diſciplina cum ſacrarum Scripturarum ſtudio, & omnibus
„ moribus honeſtatis.]
In inſtrumento ſeu Diplomate Roberti Regis pro reſtaura-
Digitized by Google

tione Monaſterii S, Petri Latiniacenſis ad Matronam, dato Senonis anno 1032. ejus Regni, & 22. à morte patris qui incidit in annum Chriſti 1018. ſubſcribit Leothericus Archiepiſcopus Senonenſis, ſed ſic ſignatus *Signum Letrici Archiepiſcopi*. Sed mirum quod Mabillonius temporis notam in annum 1028. rejiciat, ratus Hugonem Roberti filium annorum 18. qui Compendii ſacratus fuit ab Epiſcopis ipſo die Pentecoſtes anno 1017. ut notant Glaber & Helgandus, & Diplomati ſubſcripſit, inauguratum non fuiſſe niſi anno 1028. Cui Labbeus parte IV. Breviarii Chronologici diſertè contradicit, & Chartam Roberti pro Latiniacenſibus, Leotherici manu firmatam ad eundem annum 1018. cum Sanctamarthanis conſignat, apud quos plura de Senocenſi iſto Præſule diligenter notata, hîc repetita nolumus.

Plures ad eum literas dedit Fulbertus Carnotenſis Epiſcop. variis plenas affectibus, prout rerum ſtatus & viri indoles calamum agebant. Eum epiſt. 7. vocat *Angelum magni conſilii*: alibi *primatem* ſuum nuncupat, nec ceteris laudibus parcit, quibus egregias Leotherici dotes altiùs extollit. Gratulatur item epiſtolâ 23. de inventis Sanctorum pignoribus cùm in Eccleſiâ Senonenſi, tùm in Viviana ſancti Petri, ut ſuperiùs ex Chronico Ms. quod divinæ bonitatis beneficium poſteritati etiam ſacrum eſſe voluit Robertus Autiſſiod. in Chronico anni 1210. poſt Odoran. omnium primum.

„ Illo tempore ut habet Chronicon Ms. (ex quo Labbeus in „ ſua Conciliorum editione) hæreſis exorta fuit Aurelianis ex „ majoribus civitatis. Leothericus verò Epiſcopus congregans ibi „ Synodum illos condemnavit, & igne cremari fecit. Poſt hæc S. „ Theodoricus Aurelian. Epiſcopus relinquens Epiſcopatum venit „ ad Monaſterium S. Petri vivi, renuntians ſæculo. Fuerat verò in „ illo nutritus & literis imbutus tempore Rainardi Abbatis avun„ culi ſui. Per multos dies manſit ibi vivens religiosè & honeſtè „ cum monachis. Poſt multos dies cum licentiâ iter arripuit ad „ Romam. Et dum iret, venit ad caſtrum Tornodorenſe, & ibi „ plenus virtutibus, beata fine quievit VI. Cal. Feb. Comes il„ lius caſtri conſanguineus erat ejuſdem ſancti; ipſum fecit ſe„ peliri in Monaſterio S. Michaëlis. Juſſerat idem ſanctus cor„ pus ſuum ad Monaſterium ſancti Petri Vivi deferri; ſed illud „ retinuit idem Comes. Ad ſepulchrum ejus ægri ſanantur.]

Non his ſolùm prodigiis illuſtrem eſſe voluit Deus Leotherici pontificatum: aliud oſtendit coràm Rege Roberto, & patri-

Digitized by Google

bus Concilii Airiacenſis cui præſedit ipſe Leothericus cum Gaſtino Bituricenſi, quale retulit ipſe loci indigena Robertus Sancti Mariani pag. 74. ſui Chronici à Camuzatio editi, ſed ad fontes Vivianos. Ex quibus poſt alios Philippus Labbe S. J. do-
» cus inclitum in dicta Conciliorum editione. [Robertus Fran-
» corum Rex conſtituit Concilium Epiſcoporum & Abbatum in-
» numeræque multitudinis in Autiſſiodorenſi pago apud villam
» Airiacum, in quo Leothericus Senonenſis & Gaſtinus Bituri-
» cenſis Archiepiſcopi cum prædicto Rege Roberto, aliiſque
» Epiſcopis & Abbatibus affuerunt: ubi de ſingulis locis [*Tomo*
» *2. actorum Benedictinorum ex recenſione Clar. Mabillonii fit etiam*
» *metentio delationis reliquiarum S. Berchariii ad idem Concilium.*] de-
» lata ſunt Ss. Martyrum, Confeſſorum & Virginum pretioſa
» pignora in ſuis ſcriniis. Inter quæ de Cœnobio B. Petri Vivi
„ dum deferretur vel referretur B. Martyr Sanctianus, immi-
„ nentibus noctium tenebris ſuper duo capita ſcrinii eminue-
„ runt duo præclariſſima ſydera omnes totius noctis tenebras ſuo
„ ſplendore ſuperantia, oculis quidem deducentium viſibilia,
„ ſed tactu impalbabilia.]

Leothericus Senonis excepit Ludovicum Comitem Alemannorum, qui orationis cauſâ, inquit Chronicon MS. profectus fuerat ad S. Michaelis Cœnobium in periculo maris, & rediens Senonis languore detentus factus eſt Monachus *ad ſuccurrendum*, (Converſos vocant) in Monaſterio S. Petri Vivi, ubi obiit, & dedit Monachis Villam de Heriſcurt, ubi quondam erectus prioratus. Tranſtulit etiam anno 1029. corpus S. Saviniani in Baſilica *Vivi*, Rege præſente & Conſtantiâ Reginâ cum primoribus Regni, in capſam auro gemmiſque protectam (ut hactenus viſitur) quæ votivum erat ejuſdem Reginæ donarium in Regis gratiam Saviniani beneficio reſtitutæ; ut præter Odorannum, qui cudendi nobiliſſimi illius reclinatorii curam egit, referunt omnes Chronographi MSS. & editi qui de rebus Senonicis diſſeruêre. Diximus aliàs quàm celebris fuerit illa tranſlatio, cui ſingulis annis recolendæ diem 26. Auguſti majorum pietas & Breviarium Senonenſe, etiam nuperæ reformationis anni 1641. indixit. Tranſlatis à Leotherico ſacris oſſibus, ipſe Rex in publica ſupplicatione ſacra Lipſana bajulavit cum Regia domo: quod ſingulare pietatis obſequium quotannis recolentes Myſtæ Metropolitani, ea pariter ſuis humeris ſubvehunt æmulo devotionis affectu per gyrum urbis in Feſto S. Marci Clero præſente, Magiſtrati-

ſtratibus & populo plura te docebit Ducheſnius de Script. Galliæ.

Tandem Leothericus pace juratâ ſed non ſtabili in te Regem & ipſum ex una parte, & Rainardum Comitem Senon, cui pervicax in Pontificem animus ad mortem fuit, ærumnis quam annis gravior, *anno* 1032. *obiit plenus bonis operibus*: inquit. Chron. MS. cui beato fine præiverat ejus amiciſſimus Rex Robertus anno præcedenti die 20. Julii in Caſtro Meloduni. Mihi non certa Leotherici ſepultura, quam Buretellus, Coquinus Cotronius &c. auctores Senonici ad ſanctum Petrum Vivum: Sanctamarthani ex Tavello in æde Majori collocant.

Gelduinus Hiſtoricorum anathemate feritur, ut intruſus. Sic enim Chron. MS. *Succeſſit Gelduinus non electione dignâ ſed muneribus & nobilitatis ſui generis violentiâ.* Et Gaufridum à Collone tabulâ 37. *Gelduinus apud Pariſius* 15. *Cal. Novemb. plus muneribus quàm gratiâ conſecratur, invitis Clericis, Monachis & populo qui Domnum Mainardum poſtulavit.* Henricus Rex qui Gelduino favebat, ferens iniquius quod vota populi ſuis contraria prævalerent, urbem Senonum obſidione cinxit. Tunc ſævitum in Monachos *Vivi*, qui tamen, ad fidem Chronici MS. & Gaufridi à Collone eadem tabula delatis à ſe Sanctorum ſuorum ſacris Lipſanis, iiſque velut tormentis bellicis uſi, exercitum fregerunt. Rege tamen iterum minitante, *anno* 1034. *Odo Comes tradidit civitatem Senonenſem Henrico Regi. Geldvinus eodem anno in ſede recipitur.* Nihilo pacatior & in cœnobitas illos ſemper iniquior, Ermenaldum Abbatem exagitavit ad mortem. Non placuit Sanctamarthanis vetuſtioris Chronici dura relatio; ſed ſinceram probant (præter Auctorem Chronici Præmonſtratenſis Roberti, qui clariſſ. viris ſtomachum movit) omnes chronographi Senocenſes, & ipſe Clarius, qui pius audiit apud omnes, hæc pauca tacere „noluit [Obiit Ermenaldus Abbas quem Gelduinus Archiepiſco„pus, alter (ut vere dici poteſt) Archembaldus, omnibus modis „quibus ſcivit & potuit, inquietavit, afflixit & injuriavit: ſervos „& ancillas Abbatiæ prædando. carcerando, & omnia mala fa„ciendo, etiam & ornamenta Eccleſiæ quomodoqunque ſubripere „poterat, invadendo, ſuiſque complicibus, quorum ſimilis erat, dando.] Non minus, ſed compendioſè, dixit Tavellus pag. 68. *Gerduinus qui non legitima via Sedem ſuſceperat, per* 18. *annos illam tenuit, omnibus gravis & inviſus.* Simoniæ etiam poſtulatus & convictus in Synodo Remenſi coram Papa Leone IX. ejectus eſt, & Mainardus ſuffectus. Verum Gelduino reclamante in-

N

» quit Clarius ex veteri Chronico noſtro Ms. [Se injuſtè depo-
» ſitum, & Mainardum inthroniſatum, auctoritate Papæ Leonis
» convocati, amiſit uterque donum curæ Paſtoralis. Poſtea vero
» propter utilitatem tam Eccleſiæ Senonenſis quàm totius pa-
» triæ circumjacentis, totius Concilii concordanti conſenſu Mai-
» nardus eſt reſtitutus. Gelduinus autem pro ſua miſerabili vita de-
» jectus, omni honore eſt privatus. Reverſus namque Romà,
» Rodulphum Comitem adiit, & Caſtella quæ ex paterno jure
» contingebant, ut ſe adiuvaret, dedit, ſicque ſe ab omni ho-
» nore expulit.] Eadem habent Sanctamarth. ſed à nobis præca-
riò convaſata.

In vetuſto Codice S. Remigii Remenſis fit mentio Concilii Senonis habiti præſide Gilduino anno 1048. in quo Pruvinenſes Monachi S. Aigulphi confirmationem obtinent fundationis factæ illius Cellæ non per Stephanum Henricum Campaniæ & Bleſarum, ſed per Theobaldum III. illius patrem, annuente Henrico Rege ſuo diplomate, quod refert Camuſatius in promptuario Tricaſſino, ſubſignato à Gilduino Senon. Archiepiſcopo, Imberto Pariſienſi, Yſembardo Aurelianenſi, Mainardo noſtro Tricaſſino, Hugone Nivernenſi, Herberto Antiſſiod. Vvalterio Meldenſi &c Quæ Cella ſeu prioratus patribus inclitæ Congregationis S. Vitoni in Lotharingia paucis ab hinc annis conceſſa, originem habet à Monaſterio S. Petri Cellenſis prope Trecas. Fit illius Concilii mentio & fundationis Tom. 9. Conc. pag. 947. Gelduinus autem, inquit Gaufridus à Collone, *peractis in Archiepiſcopatu annis XVIII. à Leone IX. Papa deponitur, poſtea obiit. In Capitulo S. Petri Vivi ſepelitur; & loco ſui ponitur Mainardus Trecenſis Epiſcopus.*

64. MAINARDUS. dicitur *Archiepiſcopus magnæ auctoritatis* ab Auctore vitæ S. Bercharii Abbatis Dervenſis. Ex Theſaurario matricis Eccleſiæ omnium votis, ſed non Regis, Gelduino ſuffectus Papam adire cogitur, ſibi ſuffragium quæſiturus, quia tum Henrici Regis potentia uicit, ut habet Chron. Ms. Interim vacua Trecenſium ſede, nobili illi Eccleſiæ præficitur. In qua cum vigilantiſſimi paſtoris partes exequitur, ferventibus iterùm Senonenſium ſtudiis, & Rege vera tandem aſſecuto de duobis illis æmulis Mainardo & Gelduino, hujus exautorationi, & alterius reſtitutioni conſenſit. Romæ pro cauſa ſua peroraſſe cum Gelduino qui reclamaverat, ſatis innuit Odorannus & poſt eum Clarius: *Domnus verò Mainardus rediens ab Apoſtolica ſede Clerum & populum lætum propter ſe invenit, & in pace rexit. Ipſe oblatio-*

Digitized by Google

nes Eccleſiarum Capituli quas præpoſiti abſtulerant, reſtituit. Monaſterium S. Petri Vivi multum dilexit, quia in eo nutritus fuerat, & literis imbutus. Tandem addit, *Anno Domini* 1062. *obiit Domnus Mainardus vir laudabilis & honeſtæ memoriæ, Senonenſis Archiepiſcopus, peractis in Archiepiſcopatu annis duodecim, menſibus tribus, diebus octo. Sepultus fuit in Capitulo Sancti Petri Vivi juxta patrem Mainardum & fratrem ſuum Daimbertum Vice-Comites Senonenſes.* Lemma ſepulchri viſitur hodie. Carmen funereum ab aliis toties exſcriptum, & è penu noſtro depromtum, hîc à nobis reddere præſtat qui propiores origini ſumus.

Carus amor Regum, patriæ decus, arma parentum
Præſul Mainardus hîc jacet eximius.
Effecit celebrem Trecis ſe præſule ſedem;
Poſt Senonis ſanctæ præfuit Eccleſiæ.
Martius hoc ſydus quarto ſubtraxit in Idus;
Ora, qui ſuper eſt ſit Deus huic requies.

Hinc corrigendus error qui apud Sanctamarthanos irrepſit ſenſui & legibus metri contrarius, qui *Martis* pro *Martius* poſuerunt.

65. RICHERIUS. Eodem anno qui Mainardo lethalis fuit, ex Archidiacono Senonenſi præſul ibidem ſummo omnium conſenſu & jubilo cooptatur. Rebus tamen Romæ turbatis, nec tuta viâ, non potuit Alexandrum II. convenire. Cadaolus enim Pallavicinus, Epiſcopus Parmenſis, qui Lucâ evocatus, inauguratus fuerat Antipapa, in Baſilica S. Petri anno 1061. & vocatus Honorius II. armis ſe tuebatur. Propterea Philippo primo Francorum Rege, cui charus erat Richerius, agente, Pariſiis conſecratur à Gaufrido loci Dioeceſano & aliis Suffraganeis ipſo die Paſchæ, Rege coram & Balduino Flandriæ Comite pluribuſque Regni proceribus; & in Octavis ejuſdem feſti Senonis exceptus omnium votis. Apoſtolicæ Sedi non perfunctoriè pronus, ei tamen quædam obvenêre, quibus fortis & intrepidus pro juribus Eccleſiæ ſuæ tuendis animus Romæ non arriſit. Hugo Dienſis Epiſcopus & Vicaria primæ Sedis per Gallias præfecturâ clarus Robertum Abbatem Reſbacenſem præter præſcripta Canonum, nec probante Richerio, Meldenſi præfecerat Eccleſiæ. Illud ſibi ratus injurioſum Richerius, nec cæterarum Diœceſeon juribus conducibile, coadunatis ſuffraganeis ſuis, ut ſcribit Clarius

Digitized by Google

& poſt eum Ph. Labbeus Tom. 10. Conc. col. 387. Robertum excommunicavit & Vvalterium ordinavit 4. Nonas Novembris 1082. Cæterùm ſalvâ Cl. VV. Sanctamarthanis reverentiâ, & ſolùm in gratiam Romanæ Eccleſiæ omnium matris, juverit adnotaſſe labis eſſe immunes Chronographos noſtros S. Petri Vivi, ſeu *Chronicon Senonenſe* quod citant, quaſi dixerint illius auctores, ſive ſit Clarius, ſive Gaufridus à Collone (nec enim alios potuerunt indigitare) quod Hugo Dienſis A. S. Legatus fuerit in Concilio Meldenſi excommunicatus à Richerio & Coepiſcopis de quo ne vel minimum verbum in dictis Chronicis, ſolùm facta mentione de Roberto ab Hugone aſſumpto. Sic Sanctamarthani „in Richerio [In repellendo faſtu Hugonis Apoſtolici Legati plu„rimum laboravit. Cum enim Robertum Meldenſis Eccleſiæ Anti„ſtitem ordinaſſet, contempto Richerio, abſque præſentia & con„ſenſu Coepiſcoporum, Synodo congregatâ non tantùm ab „Epiſcopatu ſuſpenditur ſed etiam cenſuris Antiſtitum Gallicano„rum excommunicatur Legatus, ſicuti docet Chronicon Senonen„ſe: Hugo enim imperioſè nimis ſuo munere abutebatur.] Secus „Chronicon Senonenſe: [Anno Domini 1082. obiit Walterius Epiſc. Meldenſis & Hugo Dienſis Epiſc. A. S. Legatus congregavit Concilium in dicta urbe Meldenſi & ordinavit Epiſc. Meldenſem, Robertum videlicet Abbatem Reſbacenſem, quod eſt abſque conſenſu Domni Richerii Archiepiſcopi & ideo excommunicavit prædictum Robertum.] Eadem Clarius, eadem Gaufridus à Collone, eadem Chronicon Autiſſiodorenſe iiſdem pene verbis.: nec aliter Philippus Labbe Tomo 10. Concil. col. 387. ad annum 1082. ex ipſis noſtris chronicis, aut Clario Spicilegii Dacheriani Tom. 2. pag. 747.

Par in Ivonem Carnotenſem Richerii fervidior zelus. Gaufridus Carnot. Epiſcopus plurium poſtulatus apud Urbanum II. ab eo depoſitus fuit & ad ejus preces Ivo S. Quintini Bellovacenſis Clericus Regularis, vir eximiæ virtutis & doctrinæ ſingularis ſubſtitutus fuit à Clero populoque Carnotenſi, non conſentiente Richerio Metropolitano & Primate; qui proinde beneficium conſecrationis impertire noluit Ivoni. Romam adiit ille ad Urbanum qui ei manus impoſuit, & in Galliam revertenti literas ei dedit ad Richerium, quibus eum commendat ſeque de gratia Conſecrationis ei impertita ſtrictim excuſat, his præter alia verbis uſus: *Conſecratum igitur cum ſalva tua Eccleſiæ obedientia remittentes, dilectionis tuæ dulcedinem poſtulamus, ut omni litis fomite conſo-*

Digitized by Google

pito, benignitate eum debita complectaris, & ad Eccleſiæ regimen auxilium ei largiaris. Porro Gaufredum ſi Epiſcopatum invadere, aut Eccleſiam infeſtare tentaverit, ipſum ipſiuſque fautores anathemati ſubjacere decrevimus. His Urbani minis nihilo placatior Richerius, nec eam paſſus, qualem ſibi fingebat, ſuæ ſedis injuriam, Synodum Stampis indicit, ad quam Pariſienſis, Tricaſſinus & Meldenſis ſuffraganei convolant, ut ejectum ab Urbano Gaufridum reſtituant, & ordinatum ab eo Ivonem removeant. Sed obſtitit Ivo ſua ad Papam appellatione; & interim Apoſtolicum rogat ut aut ſuis adverſariis diem Romæ dicat, ubi poſſit utrinque cauſa diſceptari: aut mittat literas pacis adminiſtras. Paullò durius Pontifici ſcripſerat Ivo: [Notum facio Beatitudini veſtræ quod « Senon. Archiepiſcopus conſilio Pariſienſis Epiſcopi infatuatus, « adhibito ſibi eodem Epiſcopo Pariſienſi, & duobus aliis non diſſi- « milis vecordiæ Meldenſi & Tricaſſino hoc anno 1092. Stampis « de ordinatione, quam à vobis acceperam me inordinatè ſatis ac- « cuſant, dicens me in Majeſtatem Regiam offendiſſe qui à Se- « de Apoſtolica conſecrationem præſumſeram accepiſſe. Cùm ita- « que conarentur Gaufridum depoſitum contra decretum veſtrum « in ſtatum priſtinum reformare, & in me depoſitionis ſententiam « proferre, Sedem Apoſtolicam appellavi, &c.] «

Tertium in quo mentis intrepidæ conſtantiam Richerii frangere non potuit Urbanus ampliſſimâ licet Patrum Concilii Claromontani coronâ cinctus, ipſe eſt Senonenſis Eccleſiæ primatus quem ſibi hereditario jure per Anſegiſi deceſſoris ſui merita devolutum, non ut gratiam ſoli perſonæ conceſſam fortiter vindicavit, nec Papæ Decretum in favorem Hugonis Lugdunenſis, Legati ſui, in quem totius etiam Concilii jure vel injuriâ vota collimabant, ſuo ſilentio pacificum eſſe voluit, diris licet Pontificiis urgeretur, quibus ad mortem uſque ſtringi maluit, quàm ſibi conniventiæ labem inurere, aut fraudare ſedem debito ſibi jure; ut certè teſtatur Urbanus ipſe in Decreto de primatu ad eumdem Hugonem Legatum ſuum: [Cauſa primatûs in plenario Arver- « nenſi Concilio tractata ac definita eſt. Et cum Richerius Seno- « nenſis Archiepiſcopus Synodali definitioni minime acquieſce- « ret, in Turonenſi pariter ac Nemauſenſi Concilio per tuam eſt « induſtriam repetita: & ſupradictus quidem Richerius pro ſua « pertinacia interdictus obiit &c.] De Daimberto ſucceſſore in Pontificis vota magis propenſo (ſi vera ſunt quæ in hujus epiſtolæ ſeu Decreti contextum qui ſequitur, ex ſchedi Lugdunenſibus

Digitized by Google

forſan irrepſerunt, ut quidam muſſitant) forſan in ejus nomine quædam dicemus. Quod dixi *Diris Pontificiis*, intelligendum tantùm eſt de uſu pallii & obedientia ſuffraganeorum ſibi negandis, quamdiu non parêret. Colligimus enim ex epiſt. 50. Ivonis ad Richerium ei relaxatum eſſe ad tempus pallii uſum in ordinatione ſcilicet Vvilielmi Pariſienſis recens electi quam Richerio liberam ſinit Urbanus, licet in primatu defendendo jugis permaneret. [Mando Vobis ex parte Domini Papæ ut ſi „ Pariſienſis Eccleſia eum ſibi ordinari & conſecrari poſtulave„ rit ante feſtum S. Remigii; ſecundum auctoritatem & con„ ſuetudinem Eccleſiæ veſtræ ei manum imponatis, & honore „ pallii ad tempus vobis interdicto in ejus ordinatione & conſe„ cratione uti nullatenus formidetis. Sic enim Dominus Papa „ mihi conceſſit, cum apud Montempeſſulanum &c.] Nec enim aliter ſæviit ira Pontificis, cùm ei ſemper libera manſerit manuum impoſitio, ceteraque munia Pontificalis dignitatis. Inter hujus litis anfractus mirum quàm varius & anceps fuerit Ivo à quo nec totus abfuit animus vindicandæ in priſtinam libertatem provinciæ ſuæ Senonenſis, ut inſigniter patuit ſub Daimberto: nec etiam à votis Urbani prorſus diſcedere quem juratæ amicitiæ cum Lugdunenſi Legato ſuo reum eſſe ſciebat. Prius evincitur ex illius epiſt. qua conſulit Richerio ut pareat quidem ad tempus ob reverentiam jubentis, ſed citrà diſpendium ſui juris, donec illud poſſit commodius aſſerere chartis authenticis & inſtrumentis nondum exhibitis. Ex quo Lector æquus attendat, ad mentem Ivonis harum rerum ſcientiſſimi & in ſcientia Canonum probè periti primatum Senonenſem Anſegiſo ſpecialem aut perſonalem gratiam non fuiſſe; ſed jus Senonum Antiſtibus acquiſitum & ad ſucceſſores tranſmittendum. Sic autem „ Ivo reſcribens ad Richerium [Non eſt conſilium meum ut „ contra torrentem brachia dirigatis, immò Apoſtolicis ſanctio„ nibus interim acquieſcatis, abſque præjudicio privilegiorum „ vel authenticarum ſcripturarum ſi quando reperiri poterunt, „ quæ hanc ſubjectionem ad Eccleſia veſtra removeant, & „ ejuſdem Eccleſiæ libertatem defendant.] Non neſcius erat Ivo jam à ducentis ante Richerium annis pontifices Senonum illo primatu, obnitente nemine, potitos fuiſſe, nec impetratis ab Apoſtolica Sede novis indultis, ut doctiſſimus Morinus ſuperius à nobis laudatus citrà ſcrupulum aſſeruit lib. 1. exercit. 31. ſub medium: *Ampliſſima primatus dignitate in univerſam Galliam*

Digitized by Google

ducentis annis, nemine repugnante, potitus eſt Senonenſis Metropolita. Ibidem etiam, ſed poſt initium, luculenter oſtendit factitium illum primatum Lugdunenſem poſt ſexcentos annos (de notis chronicis non moror) è ruinis Senonẽſibus emerſiſſe. *Anni ſexcenti nondum elapſi ſunt cùm ex Senonenſium præſulum ruinis primatum ſuum ædificare & in Metropolitas auctoritatem ſibi vendicare cœpit Lugdunenſis Epiſcopus.* Et ibidem in rem diſſeruerat, ſpectato Richerium inter & Ivonem diſcidio, cùm dicit aut innuit nuperam fuiſſe primatus Lugdunenſis ambitionem: *Si Lugdunenſis ab antiquo Primas fuiſſet, conſecrationem recuſante Senonenſi Metropolita, ad Lugdunenſem confugiſſet Ivo*: & ei Urbanus, ſi tum de primatu Lugdunico vera poſſeſſio & Romæ probata, extra partes inpertranſito medio longius excurrere non indulſiſſet.

Tanti eſt nobis Richerium nullius pervicaciæ lethalis erga Romanam Sedem fontem oſtendere, ut cuncta votis ſufficienter ſuccedant ſi ſemel palam ſit ipſum Ivonem, querulum tamen contra Senonenſes & propè in ſenſum ipſi Richerio, Lugdunenſium conatus & ſenſim prurientem ad majora aut inſolita cupidinem improbaſſe. Hugo enim Lugdunenſis qui ex Legatione quam habebat ampliſſimam ſui novi primatus decora metiebatur, Senonenſis nondum conſecrati (par de aliis Metropolitanis pruritus) reverentiam & fidelitatis ſacramentum ſibi præſtari fortiter ambiebat. Indignatus Ivo Senonenſis Eccleſiæ majeſtatem ſic raduci, Urbanum monet lædi canones & Eccleſiarum jura violari (epiſt. 65.) nec ſiluit donec ad ſaniora rediit Hugo, cujus Ivonis victoriæ pro Senonenſi canens epinicion Baronius ad ann. 1099. ſic multa paucis: *Hæc Ivo de juribus male uſurpatis per Archiep. Lugdunenſem.* Parem uſurpandæ alienæ dignitatis orexin incuſavit Illuſtr. Dominus de Marca Tractatu de Primatibus n. 118. & 119. *Conſtituto primatu, Archiepiſcopi Lugdunenſes aliquando abuti tentarunt, fines ejus ultrà quàm par eſſet porrigendo.* Et talis uſurpationis reos adducit ipſum Hugonem Legatum, & Joannem Lugdunenſem, nec poterit Richerii zelo pro patriis ſacris melius patrocinari quàm hoc effato n. 119. *Non ſolum autem injuſtis conatibus Lugdunenſium Senonenſis Provincia obnitebatur, ſed etiam à colenda ſede Lugdunenſi tandem receſſit.* Quid igitur noxæ Richerio, ſi ſalva Apoſtolicæ Cathredæ reverentia, *injuſtos conatus* junioris ſedis eluſit? Qua fronte ſanctiſſimus Clarævallenſis Bernardus qui neminem coluit diſpendio veritatis Henricum Senonenſem de primatus Senonenſis prærogativa commendaſſet epiſt. 42. ſi decus illud

eximium ab Eccleſia Senonenſi tum procul fuiſſet, aut Româ contradicente,& in injuriam Lugdunenſis præſulis temerè conſervatum? *Genus*, inquit, *ætas*, *ſcientia*, *Cathedra*, *& quod majus eſt primatûs prærogativa cui non eſſent inſolentia fomes*, *elationis occaſio?* Vix fraudem primatus ſui non abnuebat Humbertus Lugdunenſis eidem Bernardo coævus; quam utique timiditas comitatur; cum Sugerio Sandionyſiano Abbati, & in Gallia Proregi, qui eum ad Carnotenſem Conventum pro terræ Sanctæ ſubſidio invitaverat, reſcribens, ingenuè fatetur ſibi frontem non eſſe Archiepiſcopo Senonenſi, obiici, qui vindicando primatui ſuo totus ſemper incumbebat, nec ſui Lugdunenſis decora tole-
» raret: [Verum quia nos pro officio & pro jure primatus ex parte
» Domini Regis & optimatum Regni ad colloquium quod apud
» Carnutum celebrari debet invitaſtis, ſciat Caritas veſtra quod
» donec Senonenſis Archiepiſcopus in eadem cauſa primatus nobis
» derogare non veretur, & Apoſtolicis mandatis contumax,& re-
» bellis exiſtit; pudor nobis eſt ad illas progredi partes, ubi Do-
» mino Papæ contradicitur, & Lugdunenſis Eccleſia debito ho-
» nore fraudatur.] Hæc pro ſola Richerii defenſione dicta ſunto.

Nec enim audiendus quidam nuperus, aliàs apprimè doctus, qui ut ſuſpicionem fulciat de corrupto aut interpolato Urbani Decreto in Concilio Claromontano pro primatu Lugdunenſi, cui tandem ſe ſubjecerit Richerius, ut opinatur quoſdam ſenſiſſe, arguit eum uno ferè anno obiiſſe ante illud Concilium, menſe ſcilicet Januario anni 1095. *Quid verò*, inquit, *ſi dixerim Concilium illud Octobri ſolùm menſe anni* 1095. *fuiſſe coactum: cum Richerius jam inde à menſe Ianuario ipſius anni exceſſiſſet è vivis, nec niſi plane divinitus adeſſe potuiſſet Concilio?* pag. 71. querel ſuæ &c. Bis peccavit his verbis eruditus Canonicus, nec enim Synodus illa convenit menſe Octobri, ſed 14. cal. Decembris indict. 4. à menſe Septembri anni 1095. nec obiit Richerius eodem anno ſed ſequenti, ut omnia Chronica Viviana, & Sanctamarthani probe conſignant: ipſeque Robertus S. Mariani Chronographus noſtris conſentiens refert ad annum 1096. tranſlationem capitis S. Gregorii Papæ factam à Richerio in Monaſterio S. Petri Vivi. Sibi etiam putavit licitum aſſerere non ideo privatum ad tempus Richerium uſu Pallii & obedientiâ ſuffraganeorum, quòd Urbano non paruiſſet pro primatu Lugdunenſi, ſed quòd evocatus ad Synodum

Digitized by Google

nodum Hugonis Dienſis A. S. Legati, comparere neglexiſſet: nullam enim talis mulctæ rationem ſubjicit Urbanus in epiſtola ſua ad Hugonem Lugdunenſem tomo 10. Concil. Labbei. col. 517. quàm ſtatum mentis immobilem Richerii in Concilio præſentis & pluries tentati ad juris apices, ut Hugonis primatui ſubſcriberet, & jugiter recuſantis. Pontifex audiatur [Die verò « Concilii octavo tua iterum Fraternitas queſta eſt Senonenſem « Archiepiſcopum à Legatis tuis Aganoni ſcilicet Eduenſi, & « Lamberto Atrebatenſi Epiſcopis admonitum, nullam adhuc « Lugdunenſi Eccleſiæ pro primatu reverentiam profiteri. Ea « propter nos toto conſentiente Concilio, pallii uſum & ſuffraga « neorum obedientiam, donec ipſe obediret, Senonenſi Archie- « piſcopo interdiximus.] Hæc legit aut legere potuit vir opti- « mè bonus Driotius, & in matrem ſuam Eccleſiam patriamque Senonicam ſtudioſè propenſus; ſed ne contra mentem ſcripſiſſe putetur, illud cordato viro concedendum erit, & non abnuit, ſuſpectæ fidei ſibi viſum eſſe Decretum illud Urbani ex ſolis ſchedis Lugdunenſibus erutum, hactenus inviſum, & Illuſtr. tantùm D. de Marca obſtetriciis manibus hac noſtra ætate editum in lucem. Hæc pro Driotio benignè dixerimus eoque duce ſeu dictante, loco qui ſuprà. Nobis autem ſanctæ Romanæ ſedis ſincerè devotis melius incumbit germana putare, quæ ſub tanti Pontificis nomine publicis Eccleſiæ conceſſibus actitata & inſerta legimus, quamdiu nulla prodibit certitudo falſitatis, quam nullam exhibet Driotius; hîc quædam ſed ſatis jejunè miniſtrans. Quæ ſi noceant, & defenſionis ſuppetat auxilium, nuſquam diſplicebit Apoſtolicæ ſedi ea ſuggerere ſubreptionis & obreptionis probandæ media, quibus tot vicibus Romanos Pontifices non pœnituit, perempto priori judicio, æquius pronuntiaſſe; ut in ſimili cauſa Viennenſium & Arelatenſium (ne inter tot alios ejuſdem argumenti multiplices anfractus divagemur) contigiſſe certum eſt. Nec diffitetur Illuſtr. D. de Marca eo loci de Primatibus, n. 123. *Nulla planè auctoritate in vim ejus reſcripti* (Calliſti) *quod per ſubreptionem elicitum veterum primatum in auditorum jura convellebat, Archiepiſcopus Viennenſis potitus eſt. Attamen Dienſem & Albenſem ſeu Vivarienſem Epiſcopatum vi illius reſcripti ab Arelatenſi provincia diſtractos Viennenſis Archiepiſcopus in ſuam provinciam adſcivit.*

Suæ cauſæ ſubſidium deficere forſan putavit Driotius, ſi cauſam pœnæ Richerio inflictæ, in conſtantem ejus animum pro primatu ſuo, refunderet; quæ tamen ſola refertur ab Ur-

O

bano. At numquam ei fuerit indecorum pro juſtitia ſtetiſſe, uti ſtat hactenus Eccleſia Senonenſis, nullo decreto damnata (ut in Anſegiſo diximus) quod litem perimat toties reſumendam & felici marte finiendam, cùm Chartas & Inſtrumenta, cæteraque juris & facti monumenta, quibus abundè fœta, emiſerit in lucem.

Alia, ſed pacifici juris, inſignia micant in Geſtis Richerii. Primò enim cum ſumma Cleri Senonenſis celebritate excepit oſſa S. Theobaldi Confeſſoris, qui anno 1055. Vincentiæ ditionis Venetorum obierat vitæ ſanctimoniâ & miraculorum gloriâ illuſtris: quæ Arnulphus S. Columbæ Senonenſis Abbas, germanus ejus, ad ſe transferri fecerat anno 1078. & Richerius in Eccleſia ab eodem Arnulpho conſtructâ, ſuoque Monaſterio viciniſſimâ, collocanda curavit. Quâ tandem dirutâ (& cujus rudera vidimus) eidem Cœnobio iterum reſtituta ſunt, detractis tamen quibuſdam oſſibus, aliò delatis. Conſule vetus Chronic. S. Columbæ, & Cotronienſe ad an. 1078. 2°. Concilium Senonis habuit anno 1080. menſe Octobri, cui cum quinque ſuffraganeis Epiſcopis, & ſex Abbatibus magni nominis interfuit idem Arnulphus Abbas S. Columbæ, tom. 10. Conc. col. 1816. 3°. anno 1092. præſidet Concilio Stampenſi contra Ivonis Carnot. ordinationem, ut vidimus. 4°. Anno 1094. Remos pergit ad Synodum invitatus à Rege Philippo, & Rainaldo Diœceſano præſule, iis cumulatus honoribus de quibus Clarius, & poſt eum Labbeus, noſtris jugiter ſchedis incu-»bans tacere noluit; eodem tomo. col. 497. [Anno 1094. »congregavit Philippus Rex Archiepiſcopos & Epiſcopos reg-»ni ſui in urbe Remenſi; & obtinuit ab Archiepiſcopo Riche-»rio magnis precibus ut Remis ad Concilium non dedignare-»tur ire: oſtendens Rainaldum Remenſem Archiepiſcopum »podagrico dolore contractum non poſſe progredi de ſua Sede. »Et perrexit Richerius Archiepiſcopus Remis, & ſuſceptus eſt »cum maximo honore à Rainaldo Archiepiſcopo & univerſo »Clero Eccleſiæ Remenſis, & ſedit in Concilio in nullo infe-»rior Remenſi Archiep. ſed penitus par & qualis; utpote qui »non per aliquod debitum illuc perrexerat, ſed per dilectio-»nem & orationem Regis.] Perjurii pulſatus Ivo, ſed falſis ſuſurris, ut credere fas eſt, ire noluit, & Metropolitano ſuo cauſas abſentiæ ſcripſit epiſt. 35. Quintò, rogatus à Richardo Bituricenſi Primate pro confirmatione donationis à ſe factæ ma-

Digitized by Google

jori Monaſterio Eccleſiæ S. Martini de Campis ſeu de Briva, adfuit Concilio quod Hugo Dienſis Vicarius Apoſtolicus coegerat apud Exoldunum anno 1081, & ei ſubſcripſit. 6°. Regni Comitiis in Monte S. Mariæ rogatus adeſſe, anno 1095. indict. 4. & ibi de Reliquiarum S. Helenæ tranſlatione quid cenſeret coram diſſerere, pro earum vera præſentia cultuque ſyngrapham appoſuit cum aliis; ut Nothcherus Abbas Altivilarenſis narrat apud Mabillonium parte 2. ſæculi 4, Benedictini ex vetuſto Codice ejuſdem Cœnobii,

[Verum quoniam pro negotiis regni ſtatuendis octavo die « occurſuri erant Regi Philippo cum aliis Galliarum Coepiſco- « pis in vico Sueſſionicæ ſedi ſubjecto, qui vocatur Mons S.Ma- « riæ, placuit ut tantæ rei conſenſus in conſpectu Regis & proce- « rum ejus referretur, & edicto ipſius ſive omnium aulicorum « & Epiſcoporum qui venturi ibi erant, authentica confirma- « tione corroboraretur, quod ita & factum eſt. Divina enim diſ- « poſitione credimus contigiſſe quod ibi totius Galliæ majores « Metropolitæ affuerunt, ſcilicet Domnus noſter Raginoldus « Remenſis Archiepiſcopus, & Rodulphus Turonenſis Archie- « piſcopus,& Richerius Senon. Archiepiſcopus, ſinguli cum ali- « quantis ſuæ Diœceſeos ſuffraganeis & Abbatibus &c.] Sub- « ſcripſit etiam Richerius privilegio S. Petri Vivi anno 1064. & ſexto Philippi Regis, malè apud quoſdam, *decimo*. Et ab eodem Philippo aliud diploma ejuſdem Regis obtinuit pro Cœnobio S. Petri Melodunenſis, quod ex autographo refert laudandus ubique Mabillonius *de Re Diplomatica*, pag. 589. Illud in ſubſcriptionibus obſervandum quod Philippus Rex ſic ſcribit, *Signum Philippi venerandi Regis*; quod ampliſſimo charactere & pari cum ſyngrapha Regis, nomen ſuum exprimit Richerius, alii omnes minutiori formâ; quod Daimbertus ibidem ſubſcriptus (qui Richerio ſucceſſit) *Prapoſitum S. Stephani* ſe nominet. Annus Diplomatis, 1094. Septimò, ut primum ſedit in cathedra Senonenſi, ejus encœnia Dominus conſecravit celebri donario Reliquiarum SS. Martyrum Felicis & Auberti, qui paſſi ſunt Lingonis, ut habent Dipthyca Viviana, & Senonas tranſlati ſub Abbate Gerberto, in Baſilicam S. Petri Vivi, nobilique reclinatorio argenteo donati, de quo meminit Gaufrdus à Collone in Catalogo Reliquiarum dicti Cœnobii anno 1298. Hactenus ibi, & coluntur x. cal, Novembr. in Eccleſia Metropolitana 8. Idus Septembr. in cujus Breviario nu-

O ij

peræ recognitionis anni 1641. error irrepſit, ſed eruditorum illius Eccleſiæ pœnitentiâ jam damnatus, & propè corrigendus. Octavò Abbatiam B. Mariæ de Porta, nunc Prioratus dictus *du Charnier* ad muros urbis Senonum, quæ ab orbita Regulæ Benedictinæ deflexerat, ad avitum Ordinis vigorem reduxit: miſſis eò Cluniacenſibus Monachis Prioratûs Charitatis ad Ligerim, quem paullò ante, anno ſcilicet 1056. Girardus conſtruxerat. Eo regente, anno 1068. Parochialis Eccleſia S. Saviniani in burgo ſeu pomærio S. Petri Vivi renovatur ab imis, in cujus ſubterraneis receſſibus effoſſa plurium variæ ſortis hominum, quin & Præſulum ſepulchra, quæ ibidem remanſerant poſt tranſlationem factam à Venilone Senonenſi Antiſtite in proximam Vivianam Baſilicam anno 847. Corporum SS. Saviniani, Potentiani, Altini, Serotini, Eodaldi, Victorini &c. Martyrum. De quibus affatim Chronographi Senonenſes, & Chronicon Roberti Præmonſtratenſis.

Hæc etiam notat in tabula Richerii Gaufridus à Collone fol. 121. *Anno Domini 1075. fundatum fuit Moliſmenſe Monaſterium in territorio S. Petri Vivi propè Villam de Riciaco per ſanctum virum Robertum Monachum; qui poſtea habitum album accipiens, Ciſterſienſem Ordinem inſtituit ſecundum regulam S. Benedicti*: Unde penſitatio annua quinque ſolidorum perpetui cenſus, à Moliſmenſibus facta Vivianis, Chartâ Guidonis Epiſcopi Lingon. anni 1176.

Dedicavit etiam Richerius anno 1092. Eccleſiam B. Mariæ Virginis & S. Eugenii Papæ in ſuburbio Senonenſi prope confluentes Icaunæ & Vedanæ, & Monaſterium S. Remigii: quæ biennio ante primùm conſtructa fuerat. Poſteà S. Pauli nomen & patrocinium nacta, ceſſit Monachis de Dilo Præmonſtratenſis familiæ, & in Abbatiali titulo ac Conventu regulari etiamnum gaudet. Senonenſibus S. Remigii Monachis dedit Eccleſiam S. Baldi in ſupercilio montis, medio flumine Icaunæ, ſitam, quæ hodie Prioratus eſt ab anno 1640. curæ & patrocinio Monachorum VIVI commiſſus, quo Menſa Conventualis Abbatiæ S. Remigii, Vivianæ fuit unita Regio Diplomate, & unionem requirente Octavio de Bellegarde Senonum Antiſtite. Conceſſionis inſtrumentum datum fuit anno Chriſti 1081. Philippi Regis 23. indict. 4. cui cum præcipuis de Eccleſia Senonenſi ſubſcripſère quinque Epiſcopi Suffraganei, & ſex Abbates. Daimbertus, Richerii Succeſſor, & Eccleſiæ matris

Digitized by Google

præpoſitus & Theſaurarius, ad quem dicta S. Baldi Eccleſia ſpectabat, ratione Theſauri, cum Richerio ſubſignavit.

Notatur ab aliquibus Richerius, nec ſiluit Cotronius in Chronico, propenſioris fuiſſe in Monachos animi, apud quos etiam, ſcilicet S. Petri Vivi Cœnobitas, ejuratâ Senonenſi præfecturâ, Monaſticen profiteri ſub finem vitæ meditabatur. Non probatu difficilis talis aſſertio; ſed nulli tunc ætatis invidioſa dilectio, cùm exceptâ matre Senonenſi, cujus apud S. Petri Vivi Monachos ſeminarium erat, ſoli vigerent Monachi Benedictini Vivenſes, S. Columbæ, Remigiani, Cluniacenſes ad portam S. Leonis, Ferrarienſes, Melodunenſes, & quidam alii intrà fines parochiæ Senonenſis: necdum emerſerant Clerici Regulares Auguſtiniani, Præmonſtratenſes, Ciſtercienſes &c. ad quos poſtmodum citrà priorum invidiam par meritis fuit Senonenſium Antiſtitum propenſio.

Anno ſuæ mortis, ſcilicet 1096. al. 1005. ut poſt noſtratium ſchedas habet Robertus S. Mariani, tranſtulit Richerius ſolemni pompa caput S. Gregorii primi, Papæ & Eccleſiæ doctoris è ſcrinio plumbeo, in quo Româ Senonas uſque detulerat illud Anſegiſus, in vas argenteum in Baſilica Vivi, ut prius, aſſervandum.

Obiit tandem meritis gravis & annis Richerius in feriis Natalis Dominici. De cujus obitu præſtat audire Clarium funeri præſentem: [Anno 1096. obiit Richerius Archiepiſcopus Senonenſis, vir bonæ vitæ & beatæ [*al. ſanctæ.*] memoriæ; qui « antequam moreretur. 6. Cal. Januarias, in die ſcilicet feſti « S. Joannis Evangeliſtæ, accerſitis perſonis S. matris Eccleſiæ « Senonum, Daimberto ſcilicet præpoſito & Archiclavi [*Theſaurario*] nondum ſed mox poſt eum futuro Epiſcopo, & Hel- « duino Archidiacono, reliquis Archidiaconis, & Præcentore, & « nonnullis proceribus Senonicæ urbis, miſit & mandavit Fra- « tribus Monaſterii S. Petri ut eo vivente eligerent & provide- « rent ſibi Abbatem. Quod & fecerunt: eligentes omnium mi- « nimum Arnaldum Monachum, eique præſentaverunt. Cui « ipſe multis præſentibus indicavit quis eſſet, ſcilicet ex humili « parentela & ſanguine ortus; quemque ſic volebat vivere, ut « dignus eſſet regere commiſſos, de quibus ipſe unus volebat « eſſe, & corpus ſuum eidem in eadem Abbatia conceſſit humandum: quod aliter evenit quam ipſe juſſit, prævalente invidia « æmulorum Eccleſiæ S. Petri. Ipſe tamen omnia quæ habebat «

Digitized by Google

„ dans Eccleſiis, Clericis & Monachis atque pauperibus, per-
„ actis in Archiepiſcopio xxxv. annis, exceptis tribus menſibus
„ & ſeptem diebus, nudus omnibus rebus temporalibus diem clau-
„ ſit extremum. Et quia de ejus corporis ſepultura lis timeba-
„ tur, ſepultus eſt in Eccleſia S. Stephani in oratorio S. Laurentii martyris.] Sanctamarthani ſcribunt, *Tumulo reconditus fuit apud Monaſterium S. Laurentii ad majorem Eccleſiam.* Nec infrequens, ut vidimus, Baſilicas Monaſterium dici.

Plures in variis rerum eventibus extant epiſtolæ ad Richerium, & ejus ad illos, cùm Gregorii VII. tum Urbani II. Ivonis & aliorum quæ pietatem, auctoritatem, & intrepidum pectus in iis quæ Dei ſunt inſigniter commendant. Quædam adverſus novi primatus Lugdunenſis natales: quædam Regiis amoribus Philippi cum Bertrada exitiales: aliæ pro tutela Lamberti Atrebatenſis Epiſcopi, &c.

66. DAIMBERTUS. Hanc teſſeram habet in chronico Ms. & cujus auctor ei cœvus. [Anno ab incarnatione Dominica
„ 1096. Domnus Daimbertus vir nobili genere, majoris Ec-
„ cleſiæ præpoſitus & Archiclavis, nobilitate clarus, & plenus
„ moribus honeſtatis, ab omnibus Canonicis, lætantibus Clero
„ & populo & præcipuè S. Petri Vivi Monachis, eſt electus.
„ Pro conſecratione à Domino Papa obtinenda & honore pallii
„ poſſidendo Romam adiit...... Eodem anno, 1098. Domnus
„ Daimbertus cum benedictione Papali honore pallii decoratus
„ à Roma rediit, & Senonis cum magno gaudio *à Monaſterio S.*
„ *Petri delatus* 14. Cal. Maii anno prædicto receptus à Canonicis
„ in majori Eccleſia quam rexit omni tempore vitæ ſuæ pacificè
„ & quietè.]

His verbis *à Monaſterio S. Petri delatus* mos inſinuatur primæ inſtallationis Senonenſium Archiepiſcoporum in Baſilica S. Petri Vivi, poſtmodum conſummandæ in majori Metropolitana: cujus ritus in antiquiſſimo Rituali Viviano legitur pag. 256. Primus hac celebritate exceptus, & quem Chartæ veteres cum pluribus aliis exhibent, fuit magnus anno 804. & poſtremus ex ſchedis noſtris, E. Card. Jac. Duperron, ſed in æde noſtra Parochiali S. Petri *de Arce* intra muros urbis, Jacobo tùm debili, ad *Vivum* progredi non valente. Eadem ib. egit Oct. de Bellegarde.

Ordinationi Daimberti moras nectebat apud Ivonem (cui tùm commiſſa cura Senonenſis Eccleſiæ viduæ) Lugdunenſis Archiepiſcopus, volens ſibi prius ab electo præſtari obedientiæ

Digitized by Google

juramentum, quod non obtinuit. Tum Ivo ipſe, qui à Clero Senon. requiſitus erat ordinare Daimbertum Sacerdotem primùm tum Antiſtitem, quod recuſavit vigore canonum qui tumultuariam illam ordinationem extra tempora; prætermiſſo etiam Coepiſcoporum examine & conſenſu prohibebant: uti Clero Senonenſi reſpondet Ivo epiſtola ſpeciali quam integram habet Codex Vivianus. Scripſit etiam pro Daimberto adverſus Lugdunenſem ad Urbanum epiſt. 65. ob quam evocatus Romam electus Senonenſis Sacerdos & præſul, inauguratur à Pontifice ſummo, & Senonas remittitur cum honore pallii, ut jam diximus ex Chronico M. S. in quod certe non inciderat Illuſtriſſ. de Marca, qui primam hujus rei narrationem ait deberi epiſtolæ Urbani II. ad Legatum ſuum Hugonem Lugdun. primùm à ſe repertæ in Codice Lugdunenſi, & quam integram refert in Tractatu ſuo de Primatibus. Verum quamvis epiſtola illa, quam ſuppoſititiam retur Driotius, dicat Romæ promiſſam à Daimberto Hugoni reverentiam coram ſuis, dum in itinere Lugduno Senonas rediret; certum tamen habent Driotius & quidam alii nuſquam præſtitum fuiſſe illud fidelitatis ſacramentum, Ivone cum aliis ſuffraganeis (quos tamen juratæ reverentiæ reos ſupponunt) non probante, plura exigi à Lugdunenſi Præſule, quæ conſtitutum Primatûs canonem prætergrederentur: eaque ſuadere videntur quæ diximus in Richerio.

Anno 1105. die 2. Decembris Pariſiis in præſentia Daimberti Senonenſis Rex Philippus qui ob pellicatum cum Bertrada à Romanæ Sedis gratiâ deſciverat; ejurato contubernio, à Lamberto Attrebat. Epiſcopo reconciliatur Eccleſiæ, præſtito priùs juramento ſinceræ pœnitentiæ, quod ut cuivis facilé non obvium, hîc damus.

Ad Daimbertum, & Remenſem ac Turonenſem Antiſtites ſcripſerat Paſchalis Papa II. pro gratia reconciliationis ſuo nomine Regi impertienda. [Convenientibus vobis in unum, ſi communis filius Francorum Rex, & illa ejus lateralis, tactis ſacroſanctis Evangeliis omnem carnalis copulæ conſuetudinem abjuraverint; mutuum quoque colloquium & contubernium niſi ſub teſtimonio perſonarum minimè ſuſpectarum, numquam videlicet ad idem flagitium redituri, ſicut quorumdam veſtrum literis ſignificatum eſt, ſatisfactionem eorum, vice noſtra, vobiſcum Attrebatenſis epiſcopus ſuſcipiat, & à vinculo excommunicationis abſolvat, quatenus largiente Domino &

» filium Eccleſia, & Regem ſibi Francia reconciliatum Epiſco-
» pali miniſterio gratuletur.

JURAMENTUM PHILIPPI FRANCORUM REGIS.

» Audias, tu Lamberte Attrebatenſis epiſcope, qui hîc Apoſto-
» lica vice fungeris: Audiant Archiepiſcopi & præſentes Epiſcopi
» quod ego Philippus Rex Francorum peccatum & conſuetudinem
» carnalis & illicitæ copulæ, quam hactenus cum Bertrada exer-
» cui, ulterius non exercebo: ſed peccatum iſtud & flagitium
» penitus & ſine omni retractatione abjuro. Cum eadem quo-
» que fœmina mutuum colloquium & contubernium, niſi ſub
» teſtimonio perſonarum minimè ſuſpectarum non habebo. Hæc
» omnia, ſicut literæ Papæ dicunt, & vos intelligitis, ſine om-
» ni malo ingenio obſervabo. Sic me Deus adjuvet & hæc ſacro-
» ſancta J. C. Evangelia. Similiter & Bertrada cùm excommuni-
» cationis vinculo ſolveretur, tactis ſacroſanctis Evangeliis in
» perſona ſua hoc idem juravit ſacramentum.

» Actum Pariſius in præſentia Domini Daimberti Senonenſis
» & Radulphi Turonenſis Archiepiſcoporum: Domini quoque
» Ivonis Carnotenſis epiſcopi, Humbaldi Autiſſiodorenſis epiſ-
» copi, Joannis Aurelian. epiſcopi, Gualonis Pariſienſis epiſco-
» pi, Manaſſe Melden. epiſcopi, Baldrici Noviomenſ. epiſcopi,
» Lamberti Attrebat. epiſcopi, Huberti Silvanectenſis epiſcopi:
» Abbatum quoque Adæ Pariſienſis, Olrici ſimiliter Pariſienſis,
» Rainoldi de Prato ſancti Germani Pariſienſis, Rainoldi nihi-
» lominus Stampenſis: Archidiaconorum etiam quamplurium, &
» honorabilium Clericorum & laicorum non parva multitudine
» conſiſtentium. Taliter itaque ex Apoſtolicæ ſedis auctoritate
» reincorporatus eſt Philippus Rex Francorum ſanctæ Catholi-
» cæ Eccleſiæ matri ſuæ IV. Nonas Decembris indictione 13.
» anno autem Dei Chriſti 1104. [aliis 1105. *ex duplici modo*
» *computandi*] pontificante verò in Sede Romana Domno Paſ-
» chali Papa II. anno ſexto.] qui erat etiam ejuſdem Phi-
lippi 47. Hinc corrigendus Blondellus, qui in libro de for-
mula *regnante Chriſto*, auſus eſt dicere abſolutionem illam im-
pertitam fuiſſe à Richardo Albanenſi Cardinale nominatim de-
putato.

Felix ad poſteros & jugis manabit Daimberti memoria, Cle-
ricos

Digitized by Google

ricos Regulares Auguſtinianos (novus tunc dierum in Eccleſia Gall. benedictionis fœtus,) ex Ivoniana S.Quintini Bellovacenſis familia,ubi primùm cœpit eorum obſervantia regularis, ad Eccleſiam S. Joannis ſeu S. Heraclii Senonenſis evocaſſe anno Chriſti 1113. [al. 1111.] Fuerat monaſterium illud ſub Carolovingis Principibus, (ut dictum ſupra in Heraclio II.) ſed alternis temporibus, ſedes monachorum & monialium Benedictinæ regulæ, aut fortè, ſicut olim ferebat Patrum ætas, invicem, templo medio, commanebant. At rerum fato quo cuncta nutant, ob clades bellorum, Regularibus fugere coactis, locus ille ceſſit congregationi Metropolitanæ, & ſub Daimberto Præſule & Stephano præpoſito acciti Patres Ivoniani, ſub quibus diu viguit clauſtralis obſervantiæ ſtatus: quâ tandem pene ſopita noſtris diebus reviviſcere cœpit ſub celebri regimine RR. PP. Congregationis ſanctæ Genovefæ Pariſienſis.

Inſigne eſt illud, dignumque primæ ſedis Pontificum generoſa charitate, quòd Paſchalis II. excuſet Daimberto ſe Prariſienſem electum Romæ conſecraſſe, ſalvâ tamen ſui Metropolitani & Eccleſiæ Senonenſis reverentiâ. [Nos perſonæ " gravitatem videntes, morum maturitatem attendentes, infir- " mitati diutinæ compatientes, Eccleſiæ preces duximus au- " diendas. Salvo igitur in omnibus Senonenſis Eccleſiæ jure & " perſonæ tuæ reverentiâ, eum noſtris tamquam B. Petri mani- " bus largiente Domino conſecravimus. Ipſum itaque ad dile- " ctionem tuam cum B. Petri gratia remittentes, literis præſen- " tibus plurimùm commendamus, &c.] "

Pluribus Conciliis interfuit, de quibus abundè chron. Ms. Clarius & Gaufridus; & ex eis Sanmarthani, Labbeus, & qui Conciliorum editiones accurarunt. Belvacenſi non potuit adeſſe, ſed procuratorem vice ſui miſit Cl. V. & monachum S. Petri Vivi Domnum Clarium ſcriptorem alterius chronici Viviani poſt Odorannum. Philippus Rex Franc. obiit Meloduni 29. Julii anni 1108. præſente filio ſuo Ludovico VI. quem poſt quatuor dies Aurelianis Daimbertus inunxit & coronavit, inchoata jam ſolemnitate Inventionis Reliquiarum S. Stephani; fruſtra conquerente Remorum Antiſtite, cui in aliena provincia nulla competunt primarii ſacerdotia jura. Nec ſiluit Ivo Carnotenſis epiſtol. 89. qui cum Aurelianenſi Regiæ inaugurationi operam dabat; & corrigenda nota marginalis tomo 7. Spicilegii Dacheriani indicans jam tum fatis

functum Ivonem, qui octo adhuc annis ſuperſtes fuit. Ceſpitavit etiam hîc Tavellus annum 1110. notans pro Regis inunctione. Anno 1104. ind. 12. confirmavit inſtitutionem Prioratûs Inſulenſis pro Moliſmenſibus. Nec piget huc referre, quæ in Anſegiſo Primate dedimus, quantùm pro Daimberti primatu & Eccleſiæ Senonenſis juribus legitimè partis affectus fuerit Ludovicus VI. ſuâ ad Calliſtum II. epiſtolâ, quæ tota regios amores ſpirat, ſed hoc præſertim epiphonemate contra primatum Lugdunenſem, novo fremitu ebullientem: *Videtur aliquam adhuc ſpem habere Lugdunenſis Archiepiſcopus ſuper illa quam quærit ſubjectione; ſed ut verum fatear, ſuſtinerem potius regni noſtri totius incendium, capitis etiam noſtri periculum, quàm bonis ſubjectionis & abjectionis opprobrium.*

Anno 1119, inquit Chronicon MS. [Cono Præneſtinus Romanæ Sedis Legatus venit Senonis. Eodem anno Calixtus Papa celebravit Concilium Remis; fuit ibi Domnus Pembertus ſenex, & ſecum adduxit Dominum Papam. Quo Papa Romæ reverſo, Conon tenuit Concilium Belvaco.]

Hanc tandem epigraphen apponit Daimberto Chronicon Ms. *Anno Domini 1122. obiit Domnus Daimbertus Archiepiſcopus vir laudabilis & bonæ memoriæ, & in Capitulo S. Petri Vivi ſepelitur. Rexit Eccleſiam Senonenſem per 26. annos.* Menſes aliquot adjicit aliud Chronicon.

67. HENRICUS, Aper dictus à gentilitio ſuo ſtemmate, cujus generis claritatem laudat S. Bernardus epiſt. 42. Regi charus fuit, & ejus poſtulatione ex Canonico fit Præſul & Primas Senonenſis. Non potuit ſanctius commendari quàm à Bernardo, nec etiam aliquando verius admoneri. Cuivis iſthæc facilè pervia. Fonti proximus hæc haurio ex Chron. MS. [Anno ab Incarn. Dominica 1122. iſte Henricus dictus Sangliers vir magnæ nobilitatis fuit, & literatus ſufficienter, morumque honeſtate decorus, caſtus & prudens, largus & ſua jura ſervans; & de eo ſcriptum eſt quod neminem dubitabat, al. *timebat*, niſi ſolum Deum. Iſte majoris Eccleſiæ Canonicus jurè vivebat, & ſuas poſſeſſiones hereditarias cum Clericorum ſocietate maxima & optima expendebat. Iſte ſuis meritis exigentibus in Archiepiſcopum communiter eſt electus. Nec potuit adire curiam Romanam propter guerras, & ideo conſilio ſuffraganeorum ſuorum in majori Eccleſia conſecratur. Dicunt quidam quod arrogantiâ noluit ire Romam, quod falſum eſt. Et di-

lebravit concilia in Claromontenſem civitatem & Remenſem, & « interfuit domnus Henricus Archiepiſcopus & à domino Papa, « qui de eo multa bona audierat, gratanter recipitur, &, ut cre- « ditur honore pallii decoratur. Erat enim idem Archiepiſcopus « fortis, nobilis mente contra raptores & violatores pacis durus « cant quod caruit pallii honore, ſed cum pallio ſepelitur. [*Viſitur in Capitulo* Vivi *e us effigies lapidea cum pallio.*] Nam pace « reddita Eccleſiæ, Innocentius II. circa finem, boni Henrici venit « in Gallias, & à Rege Francorum honorificè ſepultus eſt, & ce- « & obviator ſtrenuiſſimus: erga pauperes, viduas, pupillos, or- « phanos ſimplex & humilis: malos reprimens, bonos fovens, « pauperes ſuſtinens; divites cum reverentia ſuſcipiens; ita pau- « peri & ſicuti diviti ſuam præſentiam exhibens, & omnibus Ec- « cleſiæ filiis reddebat omni tempore ſe communem. Tantùm di- « citur de ipſo quod delicabiliter & ſplendidè vivebat; tamen « non vitiis diffamatus: ſplendidiſſimè namque natus fuerat & « nutritus.] Hæc integræ famæ ſcriptor ipſi contiguus.

In ſchiſmate Petri Leonis contra Innocentium II. quàm impiger fuerit & ſtrenuus, libri clamant & monumenta publica. Synodo Trecenſi anni 1128. die S. Hilarii habitæ, de qua Bernardus epiſt. 39. rogatus ab Theobaldo Campaniæ Comite, & Hugone Magiſtro Templariorum adfuit cum Mathæo Albanenſi Legato Papæ, & Rainaldo Remenſi cum ſuffraganeis, ut regulam equeſtris illius Ordinis firmaret. Tùm Iotrum adiit cum aliis Epiſcopis Diœceſeos Remenſis, Turonenſ. & Rothomag. literis apoſtolicis per Gaudefridum legatum monitus, ad ſupplicationem etiam Hugonis Gratianopolitani Præſulis & Guigonis Carthuſiæ prioris, occaſione cædis Thomæ, prioris S. Victoris Pariſienſis, ut rei ſceleris & fautores canonicè multarentur. Rogat eum literis Archembaldus S. Crucis Aurelian. Subdecanus pro ea quâ poſſet in Metropolitana provincia auctoritate ut illatus ſibi ſuiſque injurias à Joanne Archidiacono, contra canones intruſo, & cujus dotis pari tandem cum Thoma fato periit, ulciſcatur. Cujus precibus adhærens Gaufridus Carnotenſ. epiſcopus, quid poſſet Metropolita Senonenſis magnificè prodit: *Veſtra quidem intereſt qui Dominus & Magiſter ſuper Aurelianenſ. Eccleſiam eſtis inſtitutus, ut Clericos diſſipatores & deſtructores rerum præfati Subdecani conveniatis, & tantæ turbationi ſedulam vigilantiam adhibeatis.*

Plures ad Henricum exſtant epiſtolæ Innocentii II. & S. Ber-

nardi in cauſa Abailardi (quæ ingens hactenus diſputandi argumentum) & ipſa rei fama plerumque mendax, plura congeſſit. Dignus certè apoſtolica cenſura Petrus ſui ſæculi decus, ſed qui non ſapuit ad ſobrietatem; probeque ſenſimus cum Hilario, *ex modo loquendi incurri hæreſim*, à qua tamen multus abhorruit. Illud inter cetera deliquit quod Bernardum votis omnium & laudibus excipiendum, habuit offenſum,

Et culpa eſt tanto diſplicuiſſe viro:

At alterum, tunc ætatis, Eccleſiæ tamen, parique laudum ſuffragio celeberrimum Petrus Venerabilis, ſe patronum ejus aſſeruit, eumque ſuo calculo probavit, qui tandem amicitia Bernardi & Eccleſiæ pace dignus evaderet. Plures Abailardi famæ conſultum voluêre ſuis apologiis, non Berengariano ſtylo, quem æquo anathemate damnavit Schola Pariſienſis; nec quæſitis ad fucum patrociniis, ſed juſto Marte, & ex ipſis ſcriptorum ejus medullis, longius iis faceſſere juſſis quæ ſibi ſuppoſititia repudiavit ipſe: ceteris verò ad eam Sanctuarii bilancem expenſis, quæ decet cordatos viros & chriſtianæ pietatis amicos, apud quos par eſt auctoribus illius ævi, quo ſuis adhuc implexa faſciis Scholaſtica Theologia nondum emerſerat, cunis quædam benignius indulgere. Condonandum aliquid genio ſæculi, ut olim ſcribebam in noſtris ad Robertum Pullum obſervationibus. Anſam quidem dedit contrà ſe criminandi, ſed in pluribus pumicem adhibuit: nec jam Chriſtianum eſt pœnitenti calamo errantem toties objicere. Ut tandem deſierit Abailardus, virtuti juxta & veritati redditus, ex ipſo diſces Petro Mauritio, ejus ſuperiore, Mecenate & patrono; ſed cui veri ſolius amor placuit: viro ſiquidem ſanctiſſimo, Bernardi amico, religionis & fidei ſtudioſo, quem ideo juſtis exequiis Abailardo parentantem, nemo non audire debet in ea ad Heloiſſam epiſtola in qua ſuprema Abailardi commemorat. [Cujus ſanctæ humili ac devotæ inter nos converſationi quod quantumve Cluniacus teſtimonium ferat, brevis ſermo non explicat: niſi enim fallor, non recolo me vidiſſe illi in humilitatis habitu & geſtu ſimilem: in tantùm ut nec Germanus abjectior, nec ipſe Martinus bene diſcernenti pauperior appareret. Cumque me compellente, in magno illo fratrum grege gradum ſuperiorem teneret, ultimus omnium veſtitu incultiſſimo videbatur. Mirabar ſæpe & in proceſſionibus eo me cum reliquis pro more præcedente, penè ſtupebam tanti tamque famoſi no-

minis hominem ſic ſeipſum abjicere, ſic ſeipſum contemnere « poſſe. Lectio erat ei continua, oratio frequens, ſilentium juge, « niſi quùm aut fratrum familaris collatio, aut ad ipſos in Con- « ventu de divinis publicus ſermo eum loqui urgebant. Sancta « Sacramenta cœleſtia immortalis Agni ſacrificium Deo offeren- « do, prout poterat, frequentabat: immo poſtquam literis & la- « bori meo apoſtolicæ gratiæ redditus eſt, continuabat. Tali no- « biſcum vir ſimplex, rectus & timens Deum; tali inquam con- « verſatione plus ſolito ſcabie & quibuſdam còrporis infirmitati- « bus gravabatur, & à me Cabilonem miſſus eſt, ubi locum ei « habilem, propè urbem quidem, ſed tamen Arari interfluente « provideram. Ad ſolvendum commune mortalium debitum « morbo correptus, eoque ingraveſcente ad extrema perductus « eſt. Tunc verò quàm ſanctè, quàm devotè, quàm catholicè « primo fidei, dein peccatorum confeſſionem fecerit, quantò in- « hiantis cordis affectu viaticum peregrinationis ac vitæ æternæ « pignus, Corpus ſcilicet Redemptoris Domini acceperit; quàm « fideliter corpus ſuum & animam hîc & in æternum commen- « daverit, teſtes ſunt religioſi fratres, & totus illius monaſterii « (in quo corpus S. Martyris Marcelli quieſcit) Conventus.] « Hæc Petrus Cluniacenſis epiſt. 20. lib. 5. de Abailardo, quem miris adhuc & ad ſepulchrum appoſitis lemmatibus exornavit. Iſthæc prolixiora forſan pro inſtituto noſtro, Lector ignoſce in gratiam viri de literis meritiſſimi; quin nec toti aberravimus à ſcopo quibus Senonenſis Eccleſiæ decora commendantur, ſi verum ſit quod vetus chronicon MS. Vivianum annotavit, Abailardum ejuſdem primatialis Eccleſiæ Canonicum fuiſſe.

Hæc delibavimus occaſione Concilii Senonenſis ſub Henrico cujus etiam poſtrema fata recenſemus ex chronico MS. [In « die ſui obitus tota civitas, & illi de provincia qui advenire po- « tuerunt, & qui tranſitum ejus ſcierunt, ultra modum planxe- « runt clerici & laïci utriuſque ſexus, & præcipuè monachi quia « præcipuè hos diligebat. Sepulto Henrico Archiepiſcopo ſanctæ « memoriæ in Capitulo S. Petri Vivi, circa mediam noctem illius « diei ſuæ ſepulturæ, voces non mortales quam plurimæ dulciſ- « ſimæ auditæ ſunt ab omni populo, priùs juxta monaſterium « ſancti Petri Vivi & in burgo, ac deinde circa majorem Eccle- « ſiam civitatis; & dixerunt quidam (quod pium eſt credere) « quod de boni Henrici ſocietate animæ fidelium gaudebant [*De* « *vocibus illis eadem in chronico S. Mariani pag.* 81.] ..... Iſte Hen- «

ricus majorem Eccleſiam renovare cœpit...... anno 1140. magiſter Petrus Abaelart, Canonicus primò majoris Eccleſiæ Senonenſis obiit, qui monaſteria Sanctimonialium fundaverat, ſpecialiter abbatiam de Paracleto, in qua ſepelitur cum uxore..... Anno Domini 1144. Eccleſia Vallis-lucentis dedicata fuit. Eodem anno ſanctæ memoriæ domnus Henricus Archiepiſcop. migravit, ut creditur, ad Chriſtum.]

Tavellus in arithmetica temporum planè jejunus, eum vivis exceſſiſſe tradit anno 1142. Nec nota niſi ſibi epiſtola quam allegat de ſuſpenſo Henrico, Innocentii diplomate, eo quod in lite coram ſe mota ſuper matrimonio Arnaldi de Soliaco cum filia Radulphi de Balgentiaco, judex iterum ſediſſet poſt interpoſitam ab Arnaldo appellationem ad primæ ſedis tribunal. Cui tamen Apoſtolicæ cathedræ pronum ſemper fuiſſe teſtantur ſummorum Pontificum literæ, & jugis ad eorum placita accurſus, nec ſine vitæ periculo; cum in reditu à Lateran. Synodo à Cœleſtini & Anacleti militibus inopinatò deprehenſus, ſuis fugatis, cultuque familiari direpto, tantùm occiſus non fuit, uti planctu communi conqueritur Petrus Cluniacenſis epiſt. 27. lib. 3. ad Innocentium, itineris ſocius & periculi conſors. Monachus tamen S. Mariani ſuſpenſionem Henrici, ſed non cauſam allegat.

Ludovico VI. penè infenſus fuit, ne peſſum irent Eccleſiæ jura, quibus tuendis fortis obſtitit in caſa Stephani Pariſienſis: & connivente Roma regiis odiis aut cupiditati, non ſiluit Abbas Claræval. conſtantiam Henrici tuitus mira ſcribendi libertate.

Hujus Pontificis effigies anaglyphico opere delineata ejuſque tumulo ſupereminens hactenus cernitur in Capitulo Vivi; pallium ſeu pontificium ſuperhumerale induta, & in antica parte Cidaris legitur HENRICUS.

68. HUGO DE TOUCIACO, al. Tuciacenſis, frater Guiliel. Autiſſiod. Epiſcopi & prius Senonenſis Archidiaconi. Hic verò Metropolitanus Præcentor, de quo ad pontificatum aſſumpto, an. 1144. Chron.MS. hæc dicit: *Vir nobilis, majoris Eccleſiæ Canonicus laudabilis & honeſtus.* Et in epiſt. Cleri Senon. ad Goſtenum Carnonot. Epiſc. cui Senon. Eccleſiæ viduæ cura devoluta & futuri Præſulis ordinatio, hoc celebratur elogio: [In » nomine Deificæ Trinitatis concorditer elegimus nobis in pa» ſtorem & Pontificem Dominum Hugonem Præcentorem no» ſtrum, à parentibus chriſtianis & Deum timentibus nobiliter

editum ; virum ſtrenuum, modeſtum, manſuetum, diſciplinis eccleſiaſticis competenter eruditum ; religioſis perſonis amoris & honoris exhibentem officium ; non alienum, non ignotum ſed fratrem noſtrum uterinum, qui liberè proferre poſſit illud Dominicum : *Et cognoſco meas & cognoſcunt me meæ*, qui nova & vetera producere de theſauro ſuo noverit ; & ab amplexibus Eccleſiæ noſtræ, cujus panibus educatus eſt, avelli numquam poſſit. Nunc igitur canonicè & legitimè à nobis electum ; à religioſis perſonis aſſiſtentibus approbatum ; à populo Senonenſi univerſo communibus votis & immenſis vocibus expetitum, ſanctitati veſtræ, Domine pater Carnotenſis Antiſtes, ad quem interim Concilium Senonenſis Eccleſiæ ſpecialiter pertinet & ſanctis Patribus & Epiſcopis qui vobiſcum ſunt, præſentem offerimus & offerendo commendamus, & ut benedictionis manus eidem inpræſentiarum imponas humiliter & devotè ſupplicamus &c.] Ex monaſterio S. Petri Vivi, ubi quievit pro more, in Eccleſiam ſuam aſſumptus. Chron. MS.

Ei ſcribunt Engenius III. & Anaſtaſius ſucceſſor ; alter pro Vizeliacenſibus Cœnobitis ; & ut jus dicat iiſdem & Manaſſe Aurelianenſi contendentibus de Eccleſia S. Machuti : hîc verò ne ſinat excommunicatos pacificè degere in provincia ſua. Ex Chron. Vizeliacenſi apud Dacherium tomo 3. Anno 1154. Ludovicus nubit Aurelianis Conſtantiæ Alphonſi Regis Hiſpaniarum filiæ, cui Reginæ diadema Hugo Senonenſis impoſuit. Quâ vix peracto à nuptiis quinquennio, partûs ſublata doloribus, Rex alteram duxit, Adelaidem Theobaldi Campaniæ Comitis filiam quæ ab eodem Hugone Pariſiis in majori Templo uncta & coronata fuit, improbante Remenſi Metropolita. Aimoinus lib. 5. cap. 53. hæc de Hugone : [Hugo Senon. Arch. ad feſtum S. Bricii Pariſiis in Eccleſia B. M. V. eam (Adelam) inunxit, Regemque cum ipſa coronavit. Miſſam etiam eodem die ibidem celebravit. Stephanus Senonenſis Canonicus, qui poſtea fuit Meldenſis Epiſcopus, epiſtolam legit, & Guilielmus Senonenſ. Archidiaconus (poſtea Autiſſiodorenſis Epiſcopus) Evangelium. Mathæus Præcentor Senon. & Dilectus Cantor Pariſ. chorum tenuerunt, & cantum in proceſſione impoſuerunt.] Sic autem de hoc conjugio contextus, veteris noſtri Chr. MS. tabulâ 43. [Ludovicus Rex duxit in uxorem Conſtantiam filiam Regis Hiſpaniæ, quæ partu mortua eſt. Tandem conſilio Procerum Rex aliam duxit, Adelam videlicet fidelicet filiam Theo-

Digitized by Google

» baldi Comitis Campaniæ, ſororem Henrici Comitis Campaniæ,
» Theobaldi Comitis Bleſenſis, Stephani Comitis ſacri Cæſaris,
» & *Guilielmi* Clerici qui poſt hæc fuit Archiepiſcopus Senonenſis,
» & poſt Remenſis.] (*Eadem Naugius ad an.* 1158. Et paucis inter-
» jectis [Eodem anno 1160. Hugo Senon. Archiepiſcopus Pari-
» ſius filiam Theobaldi Comitis Campaniæ coronavit in Regi-
» nam, quod valdè diſplicuit Remenſi Archiepiſc.] Certum
quidem illo anno deſiiſſe Conſtantiam; ſed eodem deſponſatam fuiſſe Adelaidem & inauguratam, vera Chronologia non admittit.

Henrico ſedente, nec ſegniter Eccleſiarum commodis invigilante, grave tamen diſſidium oritur clericos inter & laïcos Senonenſes: his cleri damnationem pertæſis forum civile pro cauſis oppidanorum apud Regem præventum facilè conſecutis: illis verò fauſtis conatibus injuriam ultis, & damnata reſciſſaque per eumdem illa *Communia Senonenſi*, (ſic eam cives vocitabant) victoriâ potitis. Factum uberius narrat Tavellus fol. 83. & ex eo vitæ ſynopſin Henrici ornatam voluit, ex penu noſtro, ut alii plures, abundè ſaginatus, & hinc citrà plagium pauca decerpimus.

» [Eugenio Pontifice (Eccleſiaſticorum querelis permoto)
» plurimùm annitente diſſipata eſt *Communia* & Regio juſſu re-
» vocata. Quod civium mentes plurimùm exacerbavit adverſus
» Eccleſiaſticos potiſſimúmque adverſus Herbertum Abb. Monaſt.
» S. Petri Vivi, cujus præcipuè auſpiciis & labore *Communia* revo-
» cata fuerat. Eoque res proceſſit ut calendis Maii (*anni* 1149.) tu-
» multu facto Herbertum in Monaſterio ſuo crudeliſſimè mactave-
» rint una cum illius filia fratris Milite, opem avunculo ferre co-
» nante. Quod factum Rex graviter tulit, & in tanti ſceleris ultio-
» nem quoſdam conſcios è turri S. Petri præcipitari, alios autem
» Pariſiis capite puniri fecit. Herbertus paulò ante mortem una
» cum Rege & aliis proceribus ad ſacrum bellum, ad quod Ber-
» nardus Abbas Claræval. proceres Francorum excitabat ſeſe ac-
» cinxerat & devoverat, apud Vizeliacum accepto ſacræ Crucis
» ſignaculo.] Cujus præſtantiſſimi viri, unà cum nepote pro
Eccleſia Dei manibus impiorum occiſi ſacrum famæ curavit Henricus ipſo Rege præſente qui ſpeciali in nepotem, ſibi ab intimis, prærogativâ, ſuprà tumulum ejus in area clauſtri ſtatuam lapideam, Angeli ſeu Seraphim formam exhibentem erigi juſſit; quam ipſe vidi ut nobiliſſimum Chriſtiani militis tropæum

patrum (cùm corpus illius ad decentiorem & ſecuriorem ſitum, poſt ultimam Baſilicæ conflagrationem & periſtylii caduca ſenio nutantis aliò transtuli) poſt quingentos undecim annos ab ejus & patrui cæde; quam tanti fecit pia majorum religio præter inſignem illam ſepulturam regiis manibus accuratam, ut votivis & hebdomadariis honoribus ſacram illam tumbam frequentarent Cœnobitæ, calendis Maii (qui dies necis) illam ornarent floribus & tapete pretioſiſſimo; & 3. idus ejuſdem menſis, ut notat Ritualis liber Vivianus annorum plus minus quadringentorum, fol. 237. quâ die potiſſimùm recolitur ejus depoſitio, officium ſolemne perageretur ab omnibus indutis cappis; tum proceſſio fieret ad utriuſque ſepulturam cum luminaribus & incenſo: ſi liceret digredi. Plura paterent ex originali, quibus vix indubia noſtris videtur fuiſſe utriuſque Herberti laurea martyrii.

Anno 1163. Hugo Senonis excepit die 30. Septemb. Alexandrum III. qui ibidem ſeſquiannum manſit. [Receptus „ fuit, *ut habet Chronic. Ms.* cum omni reverentia & honore „ proceſſionaliter à Domno Hugone, & dignâ Congregatione „ Capituli Senonenſis. Interfueruntque Abbates & Conventus „ Monaſteriorum, videlicet S. Petri Vivi, ſanctæ virginis & „ martyris Columbæ, & S. Remigii juxta portam. Erantque „ cum eo fere omnes Cardinales, & multi Archiepiſcopi, & „ Epiſcopi, Abbates & Decani cum multis Eccleſiarum perſo- „ nis. Erantque cum eo Rex Ludovicus, Duces, Comites & „ Barones. Manſit Senonis idem Papa per annum & dimidium „ in ſede Archiepiſcopali. Conſecravit in nova majori Eccleſia „ Senon. altare beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli XIII. Kal. „ Maii, quâ die fuerunt octavæ Reſurrectionis Dominicæ.... „ Poſtea verò viſitavit Eccleſiam S. Columbæ, & dedicavit „ præſente Odone Abbate 6. Cal. Maii. In Eccleſia verò ſancti „ Petri Vivi, quia locum diligebat, multotiens viſitabat, & miſ- „ ſarum ſolemnia in ſolemnitatibus celebrabat, & cum Abba- „ te Girardo & Monachis multotiens remanebat, & locum ſæ- „ pius ſuis benedictionibus muniebat.] „

Quo tempore, ut alibi ſcripſimus, S. Thomas Cantuariæ Primas, ad pedes S. Colombæ Senonenſis votivo exilio deportatus, ejus vivifico ſepulchro quadriennium hæſit; donec prurientes adhuc ad pugnam & decus fidei ſub ejus cineribus ſacris martyrii flammas, & intrepidæ mentis incentiva abundè mutua-

tus, ad agonem fidei & eccleſiaſticæ libertatis partes ſuo ſanguine vindicandas lætus in Angliam remeavit.

Hugonis ſpecialis cura fuit poſt cædem Abbatis Herberti, cujus cruore clauſtri Viviani pavimentum diu maduit, ut quamprimum Abbas eligeretur iis gratiarum chariſmatibus inſignis, qui poſſet optimo paſtori dignus ſucceſſor ſubſtitui. Egit apud Eugenium Papam ut Girardus è familia Cluniacenſi (quæ diu plurium in Gallia monaſteriorum ſeminarium fuit) ſufficeretur, eâ tamen lege ut Domus Vivi conſtitutiones cœnobii Cluniacenſis obſervans; ei tamen nuſquam ſubderetur, ut cavit Eugenius ipſe ſequenti Diplomate, quod autographum penes me habeo, ſuo adhuc plumbo munitum cum duplici funiculo.

EUGENIUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Monachis ſancti Petri de Vivo, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quia Eccleſia veſtra paſtoris erat ſolatio deſtituta, curæ nobis fuit dilectionem veſtram Apoſtolicis literis commonere ut de Cluniacenſi Ordine talem vobis Abbatem eligere ſtuderetis, per quem Eccleſia veſtra tam in temporalibus quàm in ſpiritualibus grata Domino ſuſciperet incrementa. Quod quia vos feciſſe cognoſcimus, devotionem veſtram in Domino collaudantes per præſentia vobis ſcripta mandamus, quatenus inſtituta Cluniacenſis Ordinis juxta mandatum veſtri Abbatis accipiatis, & quantùm humana fragilitas patitur, ſtudeatis inviolabiliter obſervare. Et ut ſine aliquo ſcrupulo ſub regimine memorati Abbatis valeatis Domino deſervire, eum ab obedientia & ſubjectione Cluniacenſis Abbatis omnino abſolvimus. Et propterea quia Cluniacenſis Monachus idem Abbas noſcitur extitiſſe, vos vel Eccleſiam veſtram nullâ obedientiâ vel reverentiâ volumus Cluniacenſi Abbati aſtringi. Datum Antiſſiodori VII. idus Octobris.]

Par cautio & independentiæ ſtatus pro pluribus aliis Gallicanis cœnobiis, ad quæ reformatio Cluniacenſis quondam tranſiit, quo tempore ſolus propagandæ aut reſtituendæ regularis obſervantiæ zelus, non dominandi in Cleris animus vigebat. Qualem ſemper independentiam tutati ſunt Floriacenſes, Angeriacenſes Ferrarienſes, Majoris Monaſterii Turonenſes, Fiſcanenſes, Sangermanenſes Autiſſiodori, Pontiſarenſes, Divionenſes, & alii quibus Cluniacenſium mira tunc ætatis religio præluxit quidem, ſed non prævaluit.

Digitized by Google

Iterum novâ gratiâ Vivianos Hugo promeruit anno 1160. cùm corpora SS. Præſulum & Martyrum Potentiani & Altini, quæ ſub aræ majoris ſacris penetralibus diu latuerant, ſuis manibus levavit, coram exhibuit, & novis brandeis protexit. His diebus argenteo feretro, me cum pluribus aliis præſente reconduntur. Pari cultu in monaſterio S. Columbæ corpus S. Lupi viſitavit. Subvenit etiam magnificâ manu Religioſis S. Joannis Senonenſis nuperæ fundationis, tuncque dierum jejunè dotatis. Non minor pro Vallis-lucentis Ciſtercienſibus providentia fuit. Et pro Stephanienſibus ſuis ſic Chronicon Ms. [Pro Eccleſia majori S. Stephani quam bonus Henricus incœperat, multùm laboravit & fere perfecit. De quercu firmiſſimo ſtallos in choro fieri procuravit & fere perfecit. Ornamenta multa majori Eccleſiæ dedit, & Reliquias coram Canonicis viſitavit & honeſtiſſimè collocavit.] Alexandri Papæ ad eum Reſcripta legeſis in Decretalibus. Ejus obitum Sammarthani conſignant ad annum 1169. contra fidem omnium Chronicorum, in quibus annus præcedens diſertè notatur. Lapſus amanuenſis infidi ſic corrigendus eſt, ex veteri Chronico Ms. Clario & Gaufrido de Coullon, hîc nobis ad manum : *Anno Domini* 1168. (al. 1169. ut apud Nangium in Chron.) *obiit Domnus Hugo bonæ memoriæ Archiepiſcopus Senonenſis. In monaſterio S. Petri Vivi in choro Monachorum ſepelitur:* ſub egregio marmoreo cippo, cui hærebat Præſulis effigies cum hoc carmine :

Præſulis hîc Senonis corpus requieſcit Hugonis,
Sit comes ipſe bonis regno ſuperæ regionis.
Juris pacificus moderator, pacis amicus:
Verè Catholicus, qui nulli vixit iniquus:
Cultor erat fidei, det ei ſedem requiei
Filius ille Dei qui lux eſt vera diei.

R. P. Mabillonius tom. 1. Analectorum pag. 328. libellum exhibet Sugerii Abbatis S. Dionyſii de conſecratione Eccleſiæ ſuæ, ſeu potiùs ſupplementum, ut fert titulus. In quo nominantur Prælati, qui ſingulorum altarium Eccleſiæ ſuperioris & cryptarum conſecrationem peragant. Plures probè recenſentur in Gallia Chriſtiana : Senonenſis autem *Werdo* cui ſacellum S. Eadmundi Regis in cryptis aſſignatur ; & Catalau-

nenſis item *Werdo* ibidem dictus, cui altare S. Euſtachii demandantur, nullibi ſic nominati leguntur: nec prior in vetuſtis & recentioribus Senonenſium Antiſtitum Elenchis. Scriptoris eſt quaquaverſum doctiſſimi publico bono lucem affundere.

69. GUILIELMUS ALBIMANUS, *aux blanches mains*, Philippi II. Francorum Regis avunculus, Cardinalis titulo S. Sabinæ, ſed anno tantùm 1182. ut vult Ciacon. (1179. Labbeo) & univerſæ Galliæ Legatus anno 1198. Ex Epiſcopo Carnotenſi, ſed non conſecrato, fit Senonenſis 1168. undecimo calend. Januarias. *Largus & providus fuit* in Chronico Ms. *quem Alexander Papa confirmavit & honore pallii decoravit. Inde Senonas veniens in monaſterio S. Petri, ut moris eſt, quievit. Deinde in civitatem ingreſſus cum magno honore & triumpho nobilium virorum regni Franciæ qui aderant, à Mauritio Epiſcopo Pariſienſi conſecratus eſt in majori Eccleſia S. Stephani Senonenſis.* Divis Bernardo & Thomæ Cantuar. amiciſſimus fuit, quem alterum fovit in vivis, & martyrio functum mirificè coluit. Nec ingratum ei fuit jam Archiepiſcopo Senonenſi Legatum in Angliam mitti in necis Thomæ auctores & complices inquiſiturum cum Alberto de Mona Cardinali S. Laurentii in Lucina, & Eccleſiæ Cancell. ſub Alexand. III. tandemque ſummo Pontifice ſub nomine Gregorii VIII. Quod munus dum impiger exequitur, ea religionis & prudentiæ inſignia dedit, ut Regem ipſum vix ſcelus abnuentem ad pœnitentiam induxerit, iiſque à Guilielmo conditionibus inſtructam, quibus ſponte ſe ſubmiſit, qualem vix privatus impleret. Propenſum Guilielmi animum in Thomam, manumque liberalem, quamdiu exulavit, probat Martyris ſucceſſor Hubertus Cantuarienſis Præſul epiſt.
» 122. apud Petrum Bleſenſem: [Non excidit à communi me-
» moria quantis & quàm piis humanitatis officiis vobis innata li-
» beralitas relevavit ejus exilium, & adhuc eleemoſinas ve-
» ſtras enarrat omnis Eccleſia Sanctorum. Propoſuerat autem
» vobis ad meritum reſpondere, ſed vitam & propoſitum ejus
» mors intempeſtiva præſcidit.] Nec cum auctoritate primæ Se-
» dis defuit amicitiæ fomes, cùm Angliam totam interdicto ſubjecit, Thomæ ſanguinem ulturus. Splendori natalium & ingenii ſagacitati debebatur præter alias animi dotes, quibus excelluit, quòd ſub feliciſſimo nepote primarius fuerit regni Adminiſter: ſed digniorem etiam Roma non habuit quem rerum

Digitized by Google

ſuarum ſummæ præficeret : quem ideo blandè quidem ſed verè commendat his verbis Rothrodus Rothomag. Antiſtes epiſt. 28. [Vos enim eſtis in cujus conſilio & auxilio potiſſimam ſuæ ſalutis anchoram navicula B. Petri conſtituit ; cùm inter ſchiſmaticæ perſecutionis fluctus periculoſiùs æſtuaret. Vobis contulit Deus in pueritia ſuper ſenes intelligere , & futuram naturæ canitiem maturiore morum ſenio prævenire. Fluxos adoleſcentiæ motus in vobis magiſtra ratio cohibuit, ut omni laſciviæ libertate præciſâ, nec forma, nec nobilitas, nec opum exuberantia, nec poteſtas, nec cætera quibus pudicitia expugnatur, propoſitum interverteret caſtitatis ; ſed modeſta in omnibus converſatio plus Angeli quàm hominis exhiberet. Cæteras virtutes quibus miraculosè fulgetis ſub ſilentio prætcrimus, &c.] Nec minùs ejus in adminiſtrandis regni negotiis felicitatem extollit. [Hanc cum diſcretione & conſilio veſtro diſpoſitio regni Francorum tota pendeat ; cùm in manu veſtra corda ſint Regum, & ad veſtræ ordinationis arbitrium populi inclinentur ; vobis incumbit quæ ad pacem ſunt quærere, &c.] Plures alios habuit Guilielmus eximiæ probitatis viros (quos inter & in præcipuis S. Bernardus, *ſub cujus ferula educatus*, inquit Tavellus pag. 86., *religioſiſſimus evaſit*) qui ſummam ejus pietatem ſuis laudibus celebrarunt, ut audiendus non ſit Baldericus, cùm ait eum *infulas cum favore & gloria ſæculari obtinuiſſe, licèt non ita cum favore Dei.*

Anno 1177. [*al.* 1176.] conſentiente Alexandro, tranſit ad infulas Remenſes à Clericis illius Eccleſiæ *ſibi decus & tutelam ambientibus* poſtulatus , quo anno redit in Angliam voti causâ ad ſepulchrum Martyris , ſibi dum viveret amiciſſimi. Tum Lateranenſi Concilio interfuit 1179. in quo Robertum de Waurin Cameracenſem electum ſacravit in Eccleſia S. Sabinæ ſui Tituli ; iterumque in electione Urbani III. quamvis eum à ſe divelli ægrè pateretur Rex Philippus, qui apud Stephanum Tornacenſem epiſt. 121. vocat eum ſuper omnes amicos & fideles noſtros cariſſimum avunculum , in conſiliis noſtris oculum vigilantem , in negotiis dexteram manum, ... Clavam in oculis hoſtium noſtrorum, & in lateribus eorum lanceam, ſine ipſo nihil fieri æſtimantes, ſive de bello ſive de pace ſit agendum. Gratum ſit vobis , pater, quòd in tanto diſcrimine regni , tantum amicum noſtrum retinemus, cujus preſentia nobis eſt perneceſſaria, & abſentia perdamnoſa. Et quidem in-

Digitized by Google

ter alia, ejus induſtriâ & ſagacitate regno præſtitâ, nobilis ei portio accrevit, Comitatus Arteſiæ, diſſidii fomes Regem inter & Balduinum Hannoniæ Comitem, quos pacis ſequeſter Guilielmus ad ſacramentum fœderis adegit Peronæ anno 1192. cum primùm Philippus ex itinere Jeroſolymitano rediit; cujus abſentis vices obiit Guilielmus cum Adela Regina.

Quantum ad coronationem Philippi Auguſti, factam ab avunculo Guilielmo anno 1179. calendis Novembris, præ ceteris audiendus Scriptor Chronici noſtri MS. quod ceteris
„ omnibus mihi nunc ad manum, præſtat ætate. [Hujus Impe-
„ ratoris (Frederici) tempore obſcuratus eſt ſol, & dicitur quod
„ hoc fuit in die unctionis boni Philippi Regis in die omnium
„ Sanctorum, à tertia hora uſque ad nonam. Unctionem iſtius
„ Philippi fecit Guilielmus Archiepiſcopus Remenſis avunculus
„ ſuus, neſcientibus patre & matre, anno Domini 1178.] al. 1179. Laborabat paralyſi non ſenio Ludovicus VII. inchoaverat ætatis annum 15. Philippus; nec facilè creditu inaugurationem illam inſcio patre celebratam fuiſſe, quæ communi omnium plauſu & ſumma regni gratulatione, populorum frequentia, optimatum accurſu, ipſiuſque Henrici junioris, apud Dupleix *ſenioris*, Anglorum Regis, diadema Regium quâ Dux Normanniæ; & Philippi, quâ Comes Flandriæ gladium miniſtrantium præſentiâ, fuit illuſtris: quam etiam Guido jam Senonenſis Archiepiſcopus cum Turonenſi & Bituricenſi eidem ſacro cooperantibus, ſuis honoribus eſt proſecutus.

„ [Florebat tunc Pariſiis, inquit Nangius, Magiſtrorum pri-
„ mas Petrus Comeſtor, verbi facundiſſimus, & in divinis Scri-
„ pturis excellenter inſtructus; qui utriuſque Teſtamenti hi-
„ ſtorias uno compingens volumine, opus edidit ſatis utile, ſatis
„ gratum, ex diverſis hiſtoriis compilatum, quod hiſtoriam ſcholaſticam nominavit] & Guilielmo noſtro nuncupavit. Poſtulat Hiſtorici candor, nævum quemdam non prætermitti ſi verè contraxit Guilielmus, ex eodem Nangio ad annum 1181. Labes eſt parentelæ & potentiſſimæ confœderatio domûs ſibi forſan caventis, non ſolius Guilielmi ad arma pruritus: *Philippus Comes Flandriæ, Dux Burgundiæ; Guilielmus Archiepiſcopus Remenſis; Comes Bleſenſis; Comes ſacri Cæſaris ſimul conſpirant in Regem Franciæ Philippum, totam Franciam conturbantes.* Quidquid ſit de domeſtico illo contra Regem apparatu, tutius eſt ipſi Philippo credere avunculi ſui fidelitatem non perfunctoriè

Digitized by Google

commendanti, ut ſuperius oſtenſum quàm Cœnobitæ Dionyſiano eminus proſpicienti.

Ei cum Senonis præſideret, injunxerat præſens Alexander Papa, ut Petri Lombardi, Pariſienſis quondam Epiſcopi ſententiam hanc : *Chriſtus ſecundùm quod eſt homo non eſt aliquid*, adſcitis ad ſe ſuffraganeis ſuis in ſtudio Pariſienſi curaret abrogari : quem iterum datâ ad eum epiſtolâ monet ut fiat : & paruiſſe certum eſt ex Labbeo in collectione ſua Concil. pag. 1530. tomi 10. Synodum etiam Remis coegit cum ſuffraganeis anno 1179. menſe Novembri. Iſemburgem Regis Danorum ſororem à Rege Philippo ductam, apud Ambianos inunxit & diademate cinxit. Cotarellos in multis Galliarum locis fœde graſſantes compreſſit : nec mihi dubium eos etiam eſſe de quibus Nangius ad an. 1183. [*Eodem tempore multi hæretici combuſti ſunt in Flandria ab Guilielmo Remenſium Archiepiſcopo, A. S. Legato & à Philippo Flandrenſium Comite.* Ei Remenſis Eccleſia debet pacificum quod ambit jus Gallicanos Reges coronandi & ungendi ex ampulla Remigiana, quo tamen abundè potiti ſunt Senonum Antiſtites. At controvertitur num ſub eo Præſule dignitas Pariatus eidem Eccleſiæ, & quibuſdam aliis ſibi ſubditis acceſſerit. Acceptam ei referunt inſtitutionem & dotationem Matriculariorum in Eccleſia Senonenſi, & ſubſidiarios Canonicos ad altare S. Johannis cum opimo penu. Clericos regulares S. Johannis Senonenſis ſtipendiis etiam Eccleſiaſticis plurimùm auxit, conceſſis in alimoniam quibusdam Eccleſiis, quibus quantùm ad jus procurationis & certos reditus etiamnum gaudent.

Anno 1175. (al. 1176.) ut diximus, Remos tranſlatus, & anno 1202. Lauduni mortalitatem exuit, ad cujus tumulum hæc epigraphe, de qua dici non poterit, *Materiam ſuperabat opus* :

Moribus excelſus, providus, mitis, prudens & pacis amator
Annis bis denis & ſex cum ſimplice menſe
Præfuit Archiepiſcopus Vuilelmus in urbe Remenſi,
Septima Septembris idus fuit finis vitæ meæ.

Mihi ſeriùs venit in manus originalis Charta Guilielmi quâ decimas Novalium villæ novæ Comitis, ſibi à fratre ſuo Henrico Trecenſi Comite relictas, legat Monaſterio S. Columbæ &c. *Actum anno ab Incarnat. Domini* 1176. ſeque Senonenſem

Digitized by Google

Archiep. & A. S. legatum inſcribit. Ex quo ruit eorum opinio qui Remos tranſlatum putant anno præcedenti.

70. GUIDO DE NUCERIIS. Cujus pater Milo, loci dominus, nobilis oppidi in Burgundia ad flumen Serenum: mater, Maria de Chaſtillon ad ripam matronæ, pari cum viro ſplendore natalium illuſtris. In politioris literaturæ ſtudiis apprime excultus, & in ſcientia Canonum peritiſſimus, accedente ſingulari morum probitate, iis fuit dotibus inſtructus, quibus famam longiùs propagavit, & ſi quamdiu Judæis obſtitit (contra decretum Concilii generalis Lateran. Chriſtianos ſervos tenentibus cum indulgentia Regis) Philippo placere non potuit; ei tamen admirationi ſemper fuit. Philippus Aulicorum ſuſurris delinitus, qui clam Judæis favebant, eos non obſtringi decreto Concilii volebat. Secus Guido qui Canoni condendo Romæ præſens cum quinque de ſuffraganeis ſuis incubuerat. Et ne peſſum iret Eccleſiæ vigor, pertinaciam cenſuris frangere molitur. Quibus Rex iratus, Guidoni exilium edicit. Paruit imperio ut ſubditus, ſed à ſententia non deſtitit ut Prælatus: quam intrepidæ mentis conſtantiam admiratus Philippus, ſaniori conſilio & Chriſtianiſſimi Regis nuncupatione digniſſimo, Guidoni reditum, Judæis votorum excidium ſcripſit.

Eccleſiæ ſuæ, cujus Archidiaconus fuerat, decori conſulens, pari cum cultu munificentiâ myſtarum numerum auxit, nova quatuor ad altare S. Petri Canonicorum inſtitutione, quibus ad victum abundè providit. Totidem ad ſacellum B. Virginis Deiparæ, quod ipſi naſcenti Eccleſiæ Senonenſi, pietate S. Saviniani poſitum & coævum fuit, Præbendatos & Capitulantes, ut vocant, voluit, nec à Stephanenſium intimo cœtu & honoribus diſparatos.

Interfuit primæ coronationi Philippi Auguſti in Eccleſia Remenſi. Tum ipſe in Monaſterio Dionyſiano Regis & Elizabethæ filiæ Balduini Comitis Hannoniæ ſponſalia celebravit & matrimonii fœdere junxit. De loco non conſentiunt Chronica Viviana Clarii & Gaufridi Silvanectum (ſi amanuenſi malè pingenti non aliter viſum eſt) mihi videntur indicare.
„ [Philippus duxit uxorem neptem Comitis Flandriæ, ignoran-
„ tibus matre & avunculo ſuo Guilielmo Archiepiſcopo Remen-
„ ſi. Pro ipſa multas accepit poſſeſſiones. Elizabetha vocabatur.
„ Guidò Archiepiſcopus Senonenſis contra voluntatem Guiliel-
mi

mi Remenſis fecit ſponſalia apud *Silvaten.* Ludovicus pater «
Philippi paralyticus jacebat, amiſerat enim loquelam.] Ipſo «
verò Aſcenſionis die voluit iterùm Philippus coronari cum uxore à Guidone Senonenſi in Eccleſia Cœnobitica S. Dionyſii (malè apud Tavellum in Mariano Pariſienſi) Regium enſem deferente Comite Flandriæ Philippo qui Regi nuptiarum auctor fuerat. Solius tamen Reginæ eo loci inunctæ meminit Nangius ad an. 1180. quo ſacrum illud peractum eſt. [Phi- «
lippus juvenis Rex Franciæ duxit in uxorem Iſabellem filiam «
Balduini Comitis Hannouiæ, neptem Comitis Flandriæ Phil «
lippi de ſorore: & cum ea recepit Atrebatum cum omnî terrâ, «
quæ fuerat Comitis circà fluvium qui dicitur Lis. Eam autem «
unxit Guido Senonenſis Archiepiſcopus apud S. Dionyſium «
in Reginam; datis prius literis quod nullum jus propter hoc «
reclamabat in Eccleſia S. Dionyſiii in Francia, quæ excepta «
eſt ab ejus & Epiſcopi Pariſienſis juriſdictione.] «

Anno 1178. dedicat Eccleſiam cœnobiticam Sacri-portus ad Sequanam, (vulgò, *de Barbeau*) familiæ Ciſtercienſis, menſe Martio, cum ſuffraganeis ſuis, qui ſuâ quique die privatâ abſidis altaria conſecrarunt, ut patet ex ſingulorum inſcriptionibus; quos inter Mauritius Pariſienſis, altare S. Dionyſii, & Manaſſes Aurelianenſis altare S. Martini inaugurarunt. Primam dicti Cœnobii ſacram ædem dedicaverat Hugo Senonenſis anno 1156. ſub invocatione & tutela S. Juliani.

Omnes Chron. Senon. ſublatum è vivis aſſerunt Guidonem anno 1193. Tavellus, qui Sanmarthanis male pro more prævivit ejus obitum ponit anno ſequenti. Eo regente, penè tota conflagravit civitas Senonenſis; nec minus in alias plures Eccleſias & Cœnobia flamma deſæviit.

71 MICHAEL DE CORBOLIO, ex nobili familia Vicecomitum de Corbolio in Tractu Pariſienſi: pietatis & literarum fama notiſſimus, quas diu Pariſiis publico Magiſterio docuit, dein fit ibidem primarii ſacri Collegii Decanus. Nominatus fuerat Patriarcha Jeroſolymitanus; ſed placuit Philippo Regi, ut de conſenſu Capituli Senonenſis illis præſideret. Ordinatur pro feſto S. Marci anno 1194. & ſic ſapienter præfuit, ut ad laudis cumulum Innocentius III. vivum & defunctum miris præconiis exornarit. epiſt. 52. libri 2. *Vir providus & diſcretus, veri paſtoris adimplens officium, & ſuper grege ſibi commiſſo purè & plenè ſolicitudinem paſtoralem exercens, dum Chriſti legem ze-*

latur, & hæreticorum impugnat errorem. Anno 1196. componunt inter ſe Michael, & Helias Abbas S. Colombæ Senon. ut præſentatio Parochi in Eccleſia ſancti Benedicti intrà muros urbis, & Cuiſiaci ad primum illius lapidem, & Villæ-novæ Comitis Monachis, ut prius, maneat; qui poſſint etiam in hac ultima Prioratum erigere, ea lege quod Archiepiſcopo cedant jus præſentationis ad Eccleſiam de Courlon. Salon. Decano Senonenſ. & Gaufrido Præcentore, Capit. Cancell. Alio diplomate eidem Monaſterio confirmat jus præſentationis ad plures Eccl. quo patronatu hactenus gaudet. Ex autographo hîc recenſentur.

„ Michael Dei gratiâ Senonenſis Archiepiſcopus, omnibus ad „ quos literæ iſtæ pervenerint, in Domino ſalutem. Notum fieri „ volumus quod cùm nobis conſtitiſſet ex teſtimonio laudabi„ lium virorum præſentationem Preſbyterorum in Eccleſiis, qua„ rum nomina hîc ſubſcribuntur, ſpectare ad Abbatem & Con„ ventum ſanctæ Columbæ Senonenſis: Volentes ipſis in ſuo ju„ re adeſſe, earumdem Eccleſiarum eis confirmavimus patrona„ tum. Hæ ſunt autem Eccleſiæ. Eccleſia ſancti Lupi in ſubur„ bio ejuſdem nominis (*quod excidit ſæculo decimo quinto deſinen„ te;*) Eccleſia ſancti Dionyſii, quæ ſitæ ſunt in villa ſanctæ „ Columbæ majoris; Eccleſia ſancti Clementis; Eccleſia ſancti „ *Martini de Cuiſiaco*; Eccleſia ſancti Germani cum Capella ſuper „ Oreſam, quæ eſt de ſancto Laurentio; Eccleſia villæ Patritii, „ cum Capella ſua de Villa-novella (*Villenavote.*) Eccleſia ſan„ ctæ Columbæ de Quadruvio Senonenſi; Eccleſia de Gron; Ec„ cleſia de Beons, aliàs de Beciaco; Eccleſia de Sarmaſia. In cu„ jus rei memoriam præſentem chartam notari fecimus, & ſigilli „ noſtri munimine roborari. Actum menſe Januario anno Incar„ nati Verbi milleſimo centeſimo nonageſimo ſexto.] Michaelis „ ſigillum appenſum Columbam exhibet retrò ſpectantem cum hoc lemmate figuram ambiente SECRETUM MEUM MIHI. Ex adverſa parte, Pontificis formam cum pallio & baculo paſtorali, non autem cum cruce.

Diſſidentibus Michaele & Conventu S. Germani à Pratis pro quibuſdam procurationum juribus, quibus Celeſtinus III. arbitros nominavit, ut jus dicerent partibus; eis ſcribit Stephanus Tornacenſis epiſt. 90. (ne fortè privilegiorum inſtrumenta Sangermanenſibus propitia læderentur) ut cauſam ad Apoſtolicum remittant, cujus eſt ſua tueri, aut lucem affundere, ſi minus pateat eorum ſenſus. Non hîc ingratus erit privilegiatis

omnibus Tornacenſis contextus. [De procurationibus agitur " corporum, non de ſalute animarum, de numero quadrupedum " & hominum, non de merito virtutum & victoria vitiorum. In " hoc tamen conflictu ſummi Pontifices Alexander, Lucius, Urbanus, Clemens, & qui hodie ſedet Celeſtinus (1196.) injecerunt & divinis privilegiis taxantes evectionis numerum, jurgio " ſuper procuratione moto impoſuiſſe creduntur. Vidi & legi " privilegia iſta, nec facili veritate, nec falſa ſuggeſtione impetrata, ſed omni ſolemnitate ſubnixa & Cardinalium ſubſcriptionibus roborata. Quid tantùm aut tutum eſſe poterit ſi ſuper talibus dubitare, diſceptare, aut diſputare aliqui voluerint; " cùm munimenta apoſtolica vobis & nobis, immo omnibus Eccleſiis, & poſſeſſiones earum ſervent, & jura tueantur & defendant. Parcite, Patres, auctoritati veſtræ, parcite dignitati & " prudentiæ, & examen iſtud reſervate ſummo Pontifici, qui " ſolus poteſtatem habet & condendi novos cànones & exponendi veteres, & interpretàndi privilegia ſua, & corrigendi " aliena.] Hæc Epiſcopus nullo partium ſtudio præventus.

Apud Labbeum tomo XI. Concil. pag. 5. Michael Concilium habet Senonis anno 1198. cum ſuffraganeis Autiſſiod. Nivernenſi & Meldenſi, in quo Decanus Nivernenſis ſuſpenditur, & Rainaldus S. Martini Nivernenſis Abbas deponitur: ambo poſtulati hæreſeos Populicanæ, quæ, referente Roberto S. Mariani, omnium hæreſeon feculentiſſima virulentas radices ſuas latè quidem, ſed latenter hoc tempore propagarat.

Hac de cauſa ſcribit Innocentius III. ad Michaelem Senon. epiſt. 59. lib. 2. Hujus hæreſis quædam nefanda tangit Wilelmus Britto Philippid. l. 1.

Qui bona conjugii ſpernunt, qui carnibus uti
Eſſe nefas dicunt, aliaſque ſuperſtitiones "
Inducunt: breviter quos tangit epiſtola Pauli "
Omnes qui fidei ſaperent contraria noſtræ: "
Quos Popelicanos vulgari nomine dicunt. "

Vix quinquennium ſedis impleverat Michael cum obiit 4. Cal. Decembris anno 1199. & apud S. Petrum de Vivo ſepelitur juxtà Chronographos omnes, uno excepto Tavello qui Sanmarthanis erroris lubricum fecit. Rigordus in vita Philippi Aug. multa paucis de Michaele complectitur: *Menſe Novembri Michael Senon. Archiep. vir Theologus & Deo placens migravit ad Dominum.* Et S. Antoninus parte 2. titul. 17. vocat eum *Virum Deo plenum.*

Digitized by Google

72\. PETRUS DE CORBOLIO, præcedentis & Reginaldi Pariſienſ. Epiſcopi conſanguineus; nec benè Tavellus qui eum humili loco natum aſſerit, quem conſtat ex familia Vicecomitum Corbolienſium legitimum ortum habuiſſe. Nam Innocentius III. tùm Lotharius, qui ſub eo didicit, in epiſt. ad Decanum & Canonicos Senonenſes dicit Michaelem de Corbolio deceſſorem & conſanguineum ejus, *nobilem quidem genere, ſed nobiliorem fuiſſe ſanctitate.* Certum præ cæteris eum in Academia Pariſienſi literarum apice & magiſterio præcelluiſſe, nec in humanioribus tantùm, at in Theologicis etiam ſtudiis, ad quem ex cathedra docentem concurrebant omnes, cùm in Galliis tùm eminus, claruiſſe. Amplè grati animi vices præceptori ſuo reddidit idem Innocentius, ut omnibus notum quibus ad manum ejus epiſtolæ; nec ſola laudum effuſione, ſed ad Prælaturas promotione, quam piiſſimis ſuſurris, & cùm debuit, auctoritate ſua conciliavit. Ad ſacrum Cameracenſe ſolium evectus, illo agente, ab Octaviano Oſtienſi Epiſcopo & Cardinali, ejus legato, inſtitutus fuit. Quo tempore (ut notat Labbeus (parte 4. Brev. Chronolog.) turbatis in Gallia rebus, cum germano ſuo Petro Duacenſi Philippo Epiſcopo Bellovanenſi &c. trimeſtri cuſtodia detinetur Regis Philippi nomine: donec Regno Pontificiis diris per Petrum Capuanum Epiſcopum & Legatum ſubdito, Rex libertatem edicit, ejuſque ad Senonenſes infulas tranſitum probat.

In Hugonem de Nuceriis Guidonis Senonenſis nepotem, & Eccleſiæ illius Theſaurarium, qui ad Cathedram Autiſſiod. aſſumptus fuerat, Senonum vota conſenſerant. Ad convictum, quòd generale Regni interdictum in cauſa Philippi Regis non ſervaſſet in ſua Diœceſi, quamvis parêrent Senones, eum Innocentius III. non admiſit, ſibique duxit gratiſſimum, didaſculum ſuum Petrum de Corbolio promovere, cui ſtatim pallii decora conceſſit. Anno 1204. convocato à Joanne Pontificio Legato apud Meldas Concilio pro reformanda pace Philippum inter Francorum Regem, & Joannem Anglorum, ipſe Petrus Senonenſis ut Metropolitanus, & ut Regi ſuo ab intimis, interfuit. Et ut Gallicanis Præſulibus (veritis ne contra Regis Regnique jura minus benè procederet Legatus, Anglo ſubminiſtrante cauſam eorum perplexitati) viſum eſt ad ipſum ſummum Pontificem appellare, ut ipſe conſenſit ſuâ apud eos epiſtolâ. Et ne Patribus Synodi qui ſe Sacramento obſtrinxerant

omnes intra præfinitum à Legato tempus appellationem proſequi, gravè foret in tanto numero iterum cogi, ut res ad exitum ageretur; indulget Pontifex veniam juramenti, & ut pauci ſeligantur pacis inter Reges arbitri, qui fuerunt Petrus Senonenſis, Bituricenſis, Pariſ. Meld. Catalaun. & Nivern. Epiſ.

Sub eodem Petro Senonenſi coacta fuit Synodus Pariſienſis anno 1209. adverſus Almarici hæreſim & ſectatorum ejus, quorum pars in diœceſi ſua jam radices fixerant, quoſque Rex Philippus flammis devovit. Nec mihi dubium quin idem Pontifex viribus conjunctis & pari zelo reformandæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ in alio Concilio Pariſienſi anni 1212. ſtrenuus cooperator ſederit cum Roberto Cardinali A. S. Legato, & mirabilem illam quadripartitam canonum panopliam ſubſignarit. Vix quatuor annis elapſis novam Meloduni Synodum congregat, ut Innocentio nondum fatis functo eodem anno 1216. fieret ſatis, qui graves ad eum & ſuffraganeos literas miſerat, quaſi Philippus Rex pactis cum Anglo conditionibus non ſtetiſſet, ut ſcribit Guilielmus Armoricus. Verùm Regem fracti fœderis inſontem pronuntiavit cum ceteris de Synodo; nec Papam rei veritatem edoctum, cùm ipſe Philippus in Ludovicum filium ſuum, qui à fœdere deſciverat, & in optimates ei adhærentes ſuorum publicatione bonorum animadverterit. In eo Concilio conſtitutiones edidit Petrus to. 11. Conc. inſertas, quibus peculiarem de clauſtralium diſciplina curam oſtendit.

Hugonem Autiſſiodorenſem ſuffraganeum ſuum, cui Petrus de Curtiniaco Comes & loci Dominus infenſiſſimus erat, egregiè juvit. Rei geſtæ ſeriem, qui præſens aderat Robertus Sancti-mariani, ſic enarrat pag. 99. ſui Chronici. [Petrus Altiſ- «
ſiodorenſis Comes Dominica in Ramis palmarum inſpectante «
clero & populo dum ageretur proceſſio, de injuriis Altiſſiodor. «
Epiſcopo irrogatis publicè ſatisfacit. Siquidem anno præteri- «
to 1203. idem Comes quibuſdam de cauſis ab Epiſcopo anathe- «
matis vinculo innodatus, tam ipſum quàm ſuos multis laceſſie- «
rat injuriis, & affecerat pluribus nocumentis. Adeo denique «
contra Epiſcopum incanduerat Comitis furor; ut quia ſuis ho- «
minibus vetabatur cœmeterii ſepultura, in ipſa domus Epiſco- «
pàlis càmera recens defuncti corpuſculùm faceret infodi, & «
matris Eccleſiæ Clericos præciperet ex ùrbe propelli: propul- «
ſorum tamen rebus & domibus non pervaſis, ſed indemniter «
conſervatis. Propter hæc itaque aliaque commiſſa tandiu Ec- «

Digitized by Google

„ cleſiaſtica cenſura reurgente diſtrictus eſt, donec Senonenſi
„ & Bituricenſi Archiepiſcopis ſatagentibus, Epiſcopo ſatisfa-
„ ceret, illata damna plenariè reſarciret, cadaver infoſſum ma-
„ nibus ſuis effoderet, & effoſſum, propriiſque humeris depor-
„ tatum cœmeterio rurſus infoderet, incederet quoque nudis pe-
„ dibus, ſola indutus linea in facie omnium tunc ad proceſſio-
„ nem ſolito frequentius confluentium. Sic igitur Dei & Eccle-
„ ſiæ honore ſervato, tantoque exceſſu congrua ſatisfactione
„ purgato, pax utrinque & gratia reformatur.] Si forſan ab in-
„ ſtituto Lector, digredimur; tui cauſa excurrimus, ut ſcias quàm ſit illibatè ſervanda Prælatis, Eccleſiæ Principibus, reverentia. Nec tamen à cœptis abſumus, Petro noſtro juſto panegyrico devoti. Qui potuiſſet ad hæc indecora potentiſſimi Comitis animus adigi, ſi (præter ſacramentum religionis) non ſtetiſſet cum ſocio in faciem intrepidam Senonenſis pectus, vir Deo plenus, & in ejus honorem & Eccleſiæ decus ſua ſponte propenſus? Nec enim læſus Epiſcopus, injuriarum patientiſſimus, & ſincerè Chriſtianus tanta pro ſe rogaſſet; aut ulciſcendæ Eccleſiæ cauſa, ultum ſe, credi voluiſſet. At Petro ſuo non curanti paſtoralis ille vigor ceſſit in cumulum laudis, quem aliunde certum eſt ſuaptè indole & nativo genio in pœnitentes pronum fuiſſe, cujus inſitæ bonitatis mirum exemplum profert Tavellus pag. *96.* ex libro Apum ſatis notum & Petri Senonenſis celebri memoriæ devotum. Plura de hoc Pontifice lectu digniſſima recolit idem Tavellus & Sanmarthani, ad quos remittimus.

Cernens Petrus urbem Senonas cum ſuburbanis, civium olim frequentiâ celebrem, bellorum cladibus attritam & compendioſè rectam; ſuis tamen (quos ſeptem decim hactenus numerat) Parochialibus titulis non minutam, quibus ob pauperem penum vix in ſingulis unus præfici poterat Sacerdos; & indecorum ratus in nobilium & magiſtratuum exequiis, quibus frequens civium concurſus, à ſolo paſtore duci funus; conſentit ut pio fœdere (quod Fratriam tredecim Preſbyterorum vocitant) ad ſolos exequiarum uſus jungerentur. Cui funebri ſocietati, codicillis morientium non modicus largitionum cumulus accrevit.

Anno 1218. Senonis Synodum indixit pro tranſlatione corporum Ss. Martyrum & Præſulum Potentiani & Altini, quæ in ſacrario baſilicæ S. Petri Vivi hactenus aſſervantur. Inſtru-

Digitized by Google

mentum autographum & originale tranſlationis illius ipſe legi anno 1680. die 19. Octobris eis ſacrâ & de præcepto celebrandâ per totam Diœceſin, cùm iterùm in novam argenteam capſam eadem corpora tranſlata ſunt à ſacro provinciæ præfecto. Primariæ chartæ tenor eſt talis. [Petrus Dei gratiâ Senonenſis „ Archiepiſcopus, Wilielmus Autiſſiodorenſis, Herveus Tre- „ cenſis, Wilielmus Meldenſis, & Wilielmus Nivernenſis, ea- „ dem gratiâ Epiſcopi, omnibus ad quos præſentes literæ perve- „ nerint, perpetuam in Domino ſalutem. Ne quandoque dubi- „ tationis nubilo veritas obfuſcetur, univerſis præſentibus & fu- „ turis notum fieri volumus, quòd 4. cal. Auguſti in Eccleſia B. „ Petri Vivi Senonenſis, in præſentia noſtra facta eſt revelatio „ ſanctorum corporum beatorum Martyrum Potentiani & Altini „ ſociorum beatiſſimi Saviniani Senonenſis Archiepiſcopi; quæ „ etiam per manus noſtras tranſlata ſunt in quamdam capſam eo- „ dem die anno Domini milleſimo ducenteſimo octavo decimo. „ Nos autem de miſericordia Jeſu Chriſti &c.] Chartam illam „ repoſui in illo novo reclinatorio argenteo cum ſigillis quinque præſulum illorum, ſed à membrana, exciſis caſu funiculis, jam ſeparatis. Huic viſitationi Petrus anxius incubuit, ne mutirent deinceps Jotrenſes Moniales ſibi corpus B. Potentiani vendicantes occaſione particulæ ab eo dictractæ per Venilonem Archiepiſcopum Senonenſem anno 847. cum primariam Ss. Martyrum Saviniani, Potentiani, Altini & ceterorum tranſlationem è vicina ſancti Salvatoris ſeu Saviniani Eccleſia, in Cœnobiticam *Vivi* Baſilicam celebravit: quam particulam Jotrum tranſmiſit ad Hermintrudem ſibi affinem quæ Monialibus præerat: quod eruditiſſimus Mabillonius non advertit parte ſecundâ, ſui ſæculi quarti Benedictini titulo ad pompam & fucum confecto: ***De tranſlatione ſancti Potentiani in Cœnobium Jotrenſe.*** Nullum ſibi vadem nominat, ſed quaſdam *ſchedulas* ſine die & Conſule. Et quod miteris, nulla in illa pericope à ſe relata fit mentio de corpore S. Potentiani Jotrum tranſlato, ut aliàs ſcripſimus, ſed hæc verba ſolùm vix fuco propitia leguntur, ***Datum & perlatum eſt celeriter ſanctum & incomparabile decus.*** Quæ ſuppoſita unius tantum oſſis conceſſione (quam fortè Viviani non admittent) citrà mendacium poſſunt aſſeri, & debitæ gratitudini famulari. Gaufridus à Collone, & qui Clarii chronicon MS. ad ſuam ætatem perduxit, uterque Petro propiores fabulam illam Jotri abundè loquuntur verbis ſibi cohæren-

Digitized by Google

tibus, & pro Gaufridi religione, pro qua eximius audiit apud omnes, ſincerè dictatis Tabulâ 45. quam Mabillonio facturus ſatis hìc in rem reddo.

» [Anno 1218. In Monaſterio S. Petri Vivi Reliquiæ fere to-
» tius corporis ſancti Potentiani oſtenſæ fuerunt coram Reverendis
» patribus Petro Senonenſi Archiepiſcopo, Herveo Trecenſi
» Epiſcopo, & quibuſdam aliis Prælatis, Epiſcopis & Abbatibus.
» Dicebant Moniales de Jotro quod corpus prædicti S. Potentiani
» habebant. Sed illa die videlicet 4. Cal. Auguſti illi patres præ-
» dicti contrarium invenerunt; nam invenerunt prædictum corpus
» S. Potentiani in Monaſterio S. Petri Vivi ſub majori Altari, re-
» tro Altare de ſubter, & cognoverunt ad plenum per teſtimonia
» literarum quibus erat fides totaliter adhibenda. Et corpus præ-
» dictum tranſtulerunt cum corpore S. Altini ſuper majus Altare in
» capſam argenteam Reliquias apponentes. Conceſſeruntque omni-
» bus peregrinis, &c.] Hujus Tranſlationis deſigna præceſſerant
coram Petro Senon. & Herveo Trecenſi Præſulibus 14. Cal. Maii ejuſdem anni: & utramque, inchoatam & completam hìc junxit Gaufridus, qui præter ſuperius dicta Petrum noſtrum his verbis commendat.

» [Domnus Petrus de Corbolio, Magiſter in Theologia,
» Epiſcopus Camerac. A venerabili Senonenſi Capitulo poſtula-
» tus, in Senonenſem Eccleſiam eſt tranſlatus & honore pallii de-
» coratus. Multùm favorabilis fuit Regi Franc. Philippo; nam ip-
» ſum Archiepiſcopus amabat, ſuæ jam immemor cuſtodiæ, & ad cu-
» riam Romanam defendebat, & ſine dubio à Rege ſuſtinebatur &
» amabatur.... Tamen dicitur de ipſo quòd Magiſter fuit in ſcien-
» tiis famoſiſſimus, & moribus clariſſimus & honeſtus: diciturque
» quòd ſæpe Curiam Romanam adiit pro Rege, & negotiis Gallica-
» nis: & quòd ibi in Curia Romana ſermones fecit facundiſſimos,
» & in diœceſi Senonenſi, & in provincia; & quod libentiùs ab om-
» nibus audiebatur, quia gratioſè & jocabiliter notandis proverbiis
» loquebatur. Sæpe cum Rege in loquelis jocabiliter erat, & tamen
» loquelis omni acceptione dignis: & Rex cum ipſo frequenter ſpe-
» cialiſſimè loquebatur; & de loquelis ipſorum jocabilibus & fru-
» ctuoſis multi multa dicunt quæ præſenti libello conſcribere non
» propono.] Inter alia Petri facetè dicta refert Martinus Polonus
in Chronico, *quod cùm papa illi objiceret; ego te Epiſcopavi: reſpondit, ego te papavi.* Tum Gaufridus addit [Eodem anno. (1221.) obiit Magiſter Petrus de Corbolio Senonenſis Archiepiſcopus, famo-

Digitized by Google

famoſiſſimæ memoriæ..... In choro majoris Eccleſiæ ſepelitur.] « & addit Nangius: *In Eccleſia Senonenſi præſente Synodo ſepelitur*, ut habet ejus Epitaphium:

Lux erat annalis Synodi coetus Synodalis,
Non ſine lamento patris oſſa dedit monumento.

73. GALTERUS CORNUTI. Primùm hæc damus ex eodem Chronico Ms. Gaufridi de Coullon eâdem tabulâ. « [Succeſſit magiſter Galterus Cornuti, vir nobilis genere, « natus in Bria in domo quæ.....Cornutorum vocatur juxta ca- « pellam de Rabelais. Iſte Galterus magiſter famoſus erat in « jure canonico & civili, & Clericus domini Regis Philippi « & Ludovici filii Philippi. Iſte Galterus, ut dicitur, antequam « ad Archiepiſcopatûs honorem vocaretur, electus fuerat in E- « piſcopum à quadam parte Capituli Pariſienſis; ſed ut dicunt « quidam, quoniam partem Francorum ſuſtinuerat contra volun- « tatem Domini Papæ, ideo Epiſcopatum non obtinuit: & ta- « men eodem anno electus fuit in Archiepiſcopum Senonenſem. « Quibus auditis, ut referunt quidam, & ipſo veniente coram « Domino Papa, dixit ei Papa: *Per nos Eccleſiam B. Mariæ ami-* « *ſiſti, ſed beatus Stephanus te ſuſcepit; & nos te confirmamus, virili-* « *ter age.*] quem tabulâ ſequenti 46. dicit Romæ conſecratum fuiſſe & pallio donatum à Gregorio IX.

Senonis indixerat Concilium Conradus A. S. Legatus, quod tamen Pariſios transferri juſſit Philippus; ut ei præſens eſſet, & communem Eccleſiæ cauſam contra Albigenſes promoveret, cùm in itinere Meduntæ moritur anno Concilii 1223. Eidem & Regis exequiis interfuit Galterus cum ſex Suffraganeis ſuis. Poſt duos annos alia Synodus Bituricis celebratur à Romano S. Angeli Cardinale quæ Nationalis cenſetur, in qua ſuo juri de primatu Senonenſi non obdormiiſſe Galterum certum eſt ex Mathæo Pariſio ad annum 1226. iſta referente. « [Sed quoniam Lugdunenſis Archiepiſcopus venditabat ſibi « primariam ſuper Archiepiſcopum Senonenſem, & Rotomagen- « ſis ſuper Bituricenſem, Auxitanenſem, Narbonenſem, & eo- « Suffraganeos; timebatur de diſcordia, & ideo non fuit ſeſſum « quaſi in Concilio, ſed ut in conſilio.] Eo litigante cum Abbatiſſa Jotrenſi quantùm ad jus Metropolitanum in idem cœnobium, arbitri à V. Legato nominati P. ſcilicet Papæ Capellanus, & J. Archidiaconus Senonenſis jus dicunt partibus, & Gregorius IX. ratam habet eorum ſententiam.

Inter præcipuos Ludovici Regis familiares prædicant eum membranæ noſtræ, quem in itinere Aremoricano ſecutus eſt cum Guilelmo Pariſienſi & Galtero Carnotenſi Præſulibus, ubi Petrus Britanniæ Comes exauctoratus eſt. Ludovici Regis VIII. funeri præfuit in æde Dionyſiana ; & ad Raimundum Berengarium Provinciæ Comitem publicus orator mittitur pro nuptiis Margaritæ ejus filiæ cum ſanctiſſimo Rege, quam & Senonis Reginam unxit & coronavit teſte Nangio ad an. 1234. *S. Ludovicus Rex Franciæ accepit uxorem filiam Comitis Provinciæ nomine Margaretam, quæ coronata fuit Senonis per manus Galteri Senon. Archiepiſc. circa dominicam Aſcenſionis.* Juſſus ab eodem Rege magnificum illum ſuſceptæ Senon. ſpineæ Domini coronæ apparatum inſtruxit, quin etiam edidit Latino ſermone, & tomo 5. Ducheſnianæ collectionis vulgato ex ſchedis noſtris Vivianis. ſacrum illud & divinum diadema Venetis à Balduino Conſtantinopolitano Imperatore numeratâ ab eis pecuniâ oppigneratum, pius Rex gravi ære perſoluto & conſentiente Balduino, Pariſios cum aliis paſſionis dominicæ inſtrumentis transferendum redemerat. Cui ad *Villam novam Archiepiſcopi* duodecim ab Senonis milliaribus Francicis diſtantem, Rex cum Galtero Senon. & Bernardo Podienſi Antiſtibus venerabundus occurrit, & inſigni Magnatum frequentiâ comitatus in Abbatiali ſancti Petri Vivi Baſilica, Monachorum votis indulgens, qui votivis & annuis honoribus ſacrum illud depoſitum venerantur, repoſuit : donec poſtridie Clero Metropolitano Abbatiali & Parochiali cum Magiſtratibus & plebe convenientibus ad eam, in majorem Eccleſiam regiâ pompâ nobiliſſimum illud pignus devectum eſt ; exceptum à Rege in porta S. Leonis (quæ nunc B. Mariæ dicitur) & nudis pedibus & vulgari veſte in humeros aſſumptum & deportatum cum Roberto fratre ſuo Attrebatenſi Comite anno 1239. poſtridie feſti S. Laurentii, tum feriâ quintâ poſt Aſſumptionem Virginis matris Pariſiis hæſit, & hæret in regio Sacello Palatii.

Pari pietate Galterus Dominicanis & Franciſcanis patribus (quod inclitum tunc ætatis Eccleſiæ germen) Senonis ſuas ſedes indulſit ; Ludovico Rege & Galtero Præſule communibus impenſis conventuum fabricam procurantibus, reipublicæ bono & ſummâ Senonum gratulatione, quam ſuis hactenus gratiis proſequuntur. Illum chriſtianâ manſuetudine inſignem erga Clericos Pariſienſes qui ab eo colendo deſciverant, mi-

Digitized by Google

rè commendat Guilielmus Brito lib. 12. Philipp. & ei in chori medio ſepulto pia Senonum mater non tam lugubre carmen quàm elogium hoc diſtycho poſuit.

Dum viguit, tua dum valuit, Galtere, poteſtas,
Fraus latuit, pax magna fuit, regnavit honeſtas.

Ludovico IX. regiam à Galtero coronam impoſitam fuiſſe Remis ſomniavit Claudius Robert in Gallia Chriſtiana pag. 247. à quo tunc receſſère Cl. Sanmarthani in ſua, aliàs religioſiùs fœderati. Nullus commento ſubſcripſit, & præ cæteris audiendus Nangius ad annum 1226. [Succeſſit in regno Ludovicus filius ejus, & per induſtriam & prudentiam venerabilis matris ſuæ Blanchæ Reginæ infra menſem poſt patris obitum, primâ ſcilicet dominicâ Adventûs, Remis per manum Epiſcopi Sueſſionenſis, vacante ſede Remenſi, coronatur, anno ætatis ſuæ quartodecimo non impleto.] *al.* 12.]

Obitum Galteri conſignat Chronicon Ms. Vivi anno 1241. undecimo cal. Maii, & ſepulturam ejus in choro Metropolitanæ; additque initio tabulæ 46. *Iſte Galterus ſedem Senonenſem per annos XX. laudabiliter gubernavit. Fecit Senonis palatium novum cum carceribus in curia Archiepiſcopali.*

74. GILO CORNUTI, frater deceſſoris, & primùm Archidiaconus Senon. quem Gaufridus à Collone, qui tum vivebat, his verbis proponit in Chronico Ms. [Anno ab incarn. dominica 1241. obiit Galterus Cornuti, qui multa bona fecit Eccleſiæ Senonenſi. In majori Eccleſia ſepelitur. Eodem anno Gilo frater ſuus electus fuit à majori & ſaniori parte Capituli Senonenſis, quibuſdam tamen paucis contradicentibus; demum apud Lugdunum per Innocentium Papam conſecratur, & honore pallii decoratur. Anno Domini 1244. à monaſterio S. Petri Vivi in majorem Eccleſiam receptus fuit cum maxima reverentia & honore.] Lugdunum rediit anno ſequenti pro Concilio generali, Junio exeunte celebrato ab Innocentio IV. quem Cluniacum uſque comitatur, ſancto Ludovico & Blancha matre præſentibus, qui eò convenerant Pontificem ſalutatum. Quam autem ad Gilonem miſit epiſtolam Innocentius Concilii præambulam, ut Senonenſis meritum extollentem publicavit Labbeus tomi XI. pag. 636. in quo præter alia Pontifex præſentiam ejus deſiderans, *Perſona-*

Digitized by Google

liter venire procures, ut ipſa Eccleſia ex tua viſitationis honore ſpiritale gaudium, & ex tua induſtria conſilium percipiat profuturum. Pari laudum cumulo dignatus eſt Capitulum Senonenſe. Fortem & virilem animum præ ſe tulit cum ſuffraganeis ſuis adversùs Theobaldum Navarræ Regem & Campaniæ Comitem; quem aliàs in Concilio Senonenſi à ſe celebrato monuerat, ne ut bonorum Eccleſiæ invaſor poſtularetur: quem iterum ſic inſimulatum acriùs urget anno 1252. ut bonis Eccleſiaſticis cedat, miſſâ ad eum Pariſiis celebri monitione, ſuo & Suffraganeorum chirographis & ſigillis munita, quæ ibidem in « tabulario regio conſervata ſic incipit: (Gilo Dei gratiâ Se- « nonenſis Archiepiſcopus, Mathæus Carnotenſ. Reginaldus « Pariſienſis, Guilielmus Aurelianenſis, Guido Autiſſiodoren- « ſis, Petrus Meldenſis, & Nicolaus Trecenſis eâdem gratiâ « Epiſcopi: Chriſtianiſſimo in Chriſto illuſtri viro Theobaldo « Dei gratiâ Regi Navarræ, Campaniæ & Briæ Comiti Palati- « no, ſalutem & ſinceram in Domino caritatem.) Eodem anno Franciſcanorum & Dominicanorum Eccleſias, quibus conſtruendis opem tulerat, ritu ſolemni dedicavit; non anno præcedenti, ut contra Chronicorum noſtrorum dictata peccavit Sanmarthanorum amanuenſis. Cleri ſui reformandi curam ſuſcepiſſe & canones condidiſſe multus oſtendit Tavellus. Egregiam vitam morte piâ finivit anno 1254. cujus manes & tumbam in majori Eccleſia Senonenſes ſui hoc epitaphio illuſtrarunt.

Corpus Gilonis jacet hic, quem plebs regionis
Hujus patronum plangit abeſſe bonum.
Cantus, menſque pia, facundia, philoſophia,
Normaque juris ei dona fuêre Dei.
Conſervare fidem ſatagebat firmiter idem,
Ut conſervet eum, poſco, rogate Deum.

Eum hac brevi apothoſi celebrat vetuſtiùs Chronicon noſtrum fol. 87. verſo. *Sanctæ memoriæ Gilo majori Eccleſiæ in choro tumulatur.*

Eo vix Senonis ſedente & pontificatum inchoante, egit apud Odonem Epiſcop. Tuſculanum & in Francia Legatum, ut tandem aboleretur in Eccl. Sen. mos impius & Bacchanalibus prope ſimilis ludicra celebrandi, qui in feriis dominici Nata-

Digitized by Google

his inoleverat, ſub vulgari vocabulo *feſti Fatuorum*, de quo plura vide in fine operum petri Bleſenſis editionis 1667.

HENRICUS CORNUTI. Archidiaconus Senonenſis & præcedentium præſulum nepos, cujus familia ſeptenario numero fratrum, præter nobilitatem inſignis, & Eccleſiaſticis dignitatibus ac præfectura militari potens. Pluribus tanti Pontificis memoriæ litavit in chronico MS. Gaufridus à Collone *Vivi* Cœnobita, Gaufridi de Montigni Laucoup ex ſorore nepos, qui lucubrationibus ſuis hiſtoriam Senonenſem illuſtravit, & ipſi Henrico coætaneus fuit ſic fol. 140. [Dominus Henricus Cornuti legitime electus per Alexandrum IV. Viterbii confirmatur, conſecratur, & honore pallii decoratur. Et eodem anno. 1255. Senonas veniens, à Monaſterio S. Petri Vivi per Barones ad majorem eccleſiam defertur & recipitur cum magna reverentia & honore. Acquiſivit Sedi Senon. domos Firmitatis de Noolone, & tandem anno 1258. obiit Henricus Cornuti Archiepiſcopus, laudabilis, caſtus, & honeſtus, & juvenis amabilis, ſuſtentator pauperum, & amator omnium, deſtructor vitiorum, lucerna Eccleſiæ Gallicanæ. Et quia contra uſurarios ſententias excommunicationum oſtiatim viriliter per Diœceſin & per civitatem promulgabat, cupiens ſuos ſubditos ſine intermiſſione à ſuis erroribus revocare, ideo veneno in avena cum amygdalis impoſito extinguitur: & tam citò percepit, & cum amaritudine cordis fertur dixiſſe, *per peſſimum Frumentum ultitimam avenam comedi.* Coquus verò ſuus Frumenti cognomine vocabatur.] Eodem anno Pariſiis cum ſuis ſuffraganeis exitio quinquenni & aliis pœnis de jure multat Hugonem de Cheverneio Canonicum Carnotenſem & Nicolaum fratrem ejus, de nece Cantoris ejuſdem Eccleſiæ in judicium actos, & tantùm non confeſſos. Hac de re Synodum Provincialem Pariſiis habuit Henricus cum Guilielmo de Buſſis Aurelianenſi, Reginaldo Pariſienſi, Guidone Autiſſiodorenſi, Nicolao Trecenſi & Alerano ſeu Abrano electo Meldenſi. In jura quaſi pontificialia Monaſterio S. Columbæ pridem conceſſa non ſponte propenſus, auctor fuit, ut novo diplomate ab Alexandro IV. firmarentur, quod hîc ex originali ſubjicimus.

ALEXANDER Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii S. Columbæ Senonenſis, ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis, ordinis S. Benedicti, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Religionis ſub qua vir-

„ tutum Domino vigili mente deſervis, honeſtas laudabiliter promeretur ut Te ac Monaſterium favore benevolo proſequentes, „ perſonæ tuæ ac eidem Monaſterio quæ ſunt honoris & gratiæ „ munera concedamus. Hanc ſicut exponere curaviſti, Tibi „ tuiſque ſucceſſoribus in Sacerdotio conſtitutis mitra, annulo, „ tunica, dalmatica & ſandalibus uti, nec non & benedicere pal- „ las altaris, calices & indumenta Sacerdotalia libera facultas à „ Sede Apoſtolica eſt conceſſa. Nos igitur Monaſterium ipſum „ honore ampliori extollere intendentes, tuis ſupplicationibus „ inclinati, impendendi in Monaſterio ipſo & Membris ejus ad „ Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentibus, benedictionem „ populo in miſſa & horis aliis Canonicis plenam Tibi eiſdemque „ ſucceſſoribus authoritate præſentium concedimus poteſtatem. „ Si quis autem &c. Datum Laterani quarto Calend. Maii, ponti- „ ficatus noſtri anno tertio.] Chriſti 1257. Sepultus fuit in choro „ S. Stephani cum hoc programmate ſepulchrali an. 1258.

Hic jacet Henricus, præſul Senonenſis, amicus
Juſtitiæ, cultor, Sanctorum criminis ultor.
Conſtans & lenis, verax, & largus egenis.
Pauperis & Cleri ſatagebat jura tueri,
Virginis eximiæ devotus præce Mariæ, &c.

In chronico MS. fol. 249. verſo, hæc iterum de Henrico ad an. 1255. (Anno Domini 1255. 15. Cal. Maii apertæ ſunt capſæ „ apud S. Petrum præſentibus Reverendis Patribus Henrico Seno- „ nenſi Archiepiſcopo & Herveo Trecenſi Epiſcopo, & aliis pluri- „ bus bonis viris; & inſpecta ſunt inibi pretioſa Sanctorum pigno- „ ra. Deliberatum eſt de corpore B. Saviniani Archipræſulis & „ Martyris die magis idonea de loculo in argento & auro & gem- „ mis compoſito (*donarium eſt Roberti F. Regis*) cum ſolemnitate „ debita reponendo.)

„ Gratum illud & poſterorum memoriâ dignum quod Henricus ſic in Senonenſem Eccleſiam ſponſam ſuam affectus fuit, ut Gentilitium ſuum ſtemma ejus etiam ſcuto & partibus in decuſſim æquis inſignitum voluerit.

76. GUILIELMUS DE BROCIA. Nullus veteres inter & modernos Tabularios de genere Pontificis hujus conſenſus. Mediocri loco natum loquuntur omnes membranæ noſtræ, & ipſe Gaufridus qui cum eo vixit ſub avunculo ſuo Gaufrido de

Montigni Lancoup 38. Abbate *Vivi*. Secus Sanmarthani (niſi ſinonyma fallant) apud quos n. 75. de eodem : *Bernardo quarto Vicecomite Brociæ , ex nobiliſſima Vicecomitum Lemovicenſium proſapia oriundus*. Aliter Cl.Robert. *Guilielmus de Brocia, Rogerii Domini ſanctæ Severæ ex Margarita de Aquis*, d'Eaües , *filius*. Apud Tavellum : *Natus è nobili familia Pentebriæ comitis filius*. Vix mihi ſedet erraſſe Gaufridum teſtem oculatum quem præſtat audire Tabula 49. [Anno ab Incarnatione Dominica 1258. Dominus Gui- "
lielmus de Brocia, Præcentor majoris Eccleſiæ, de mediocri ge- "
nere, nobilis mente, eligitur legitimè : in Curia Romana con- "
firmatur, conſecratur, & honore pallii decoratur. Anno Domi- "
ni 1259. Senonis à Monaſterio S. Petri Vivi per milites [*Barones.*] "
ad majorem Eccleſiam deportatur, & recipitur cum honore.] Ex "
ſubjecto ſepulchri lemmate perſpicuum fit in eum omnia fere Senonenſis Eccleſiæ decora convolaſſe, quibus veluti gradibus ad omnium primam dignitatem evectus eſt, cui tamen ferendæ imparem ſe ratus in ultima ſenectute *anno Domini* 1267. inquit Chronicon MS. *ſpontanea voluntate reſignavit oneri Epiſcopatus & non honori*: quo tempore in Cœna Domini Senonis ruit famoſiſſimum illud S. Stephani campanile, artis miraculum, & intuentium ſtupore celebratum : de cujus excidio hi verſus in membranis Vivianis.

" *Anno milleno C. bis LV. cum duodeno*
" *In Domini Cœna Senonis tam turris amoena*
" *Incœpit cadere, per quam plures periêre.*
" *Inde die terna fuit hujus tota ruina.*

Aſſenſum præbuit anno 1259. Regiæ fundationi Conventus Mathurinorum apud Fontem bellaqueum : & notant noſtri multiplici cura proventibus Eccleſiæ ſuæ conſuluiſſe. Poſt abdicationem ſuam triginta circiter menſibus Brienone quietus & cœlo maturus ad illud tranſiit ; cujus corpus ad majorem Eccleſiam elatum , ibidem nonis Februarii ſepelitur prope majus Altare à ſiniſtris, cui parentatum eſt hoc Carmine.

De Brocia natus eſt hic Guilielmus humatus ,
Munere multiplici debet ſua laus pia duci
Sine ſorde vili creſcens, ex Officiali
Fit Cellerarius Senonis ille prius.
Paullo poſt idem datus eſt Præcentor ibidem.
Inde Decanatum tenuit , poſt Pontificatum.
M. Sexageno nono cum C. bis in anno
Tertia dum colitur Agathæ lux , hic ſepelitur.

Digitized by Google

77. PETRUS DE CHARNIACO. Ex autographo MS. depromimus, ut aliàs, quæ Sanctamarthani qui ſchedis noſtris jugiter incubuêre, de Petro de Charni, fonte tacito, de-
" libavêre. In Tabula 49. primùm hæc habet. [Urbanus IV. mul-
" tos vocavit ex Gallicanis Eccleſiis, de quibus quoſdam Cardina-
" les fecit, alios Patriarchas, alios Archiepiſcopos & Epiſcopos, &
" alios Sedis Romanæ Notarios & Miniſtros : inter quos miſſus fuit
" à Senonis Magiſter Petrus de Charniaco, qui magiſter fuerat &
" pædagogus quorumdam Canonicorum de genere Cornutorum.
" Qui Canonici iſtum magiſtrum Petrum promoveri procurarunt
" ad Officium [*Officialis fuit.*] Curiæ Senonenſis : & deinde Ca-
" nonicus effectus eſt: & poſtea per ipſos electione digna Decanus
" efficitur. Et quia Dominus Papa capitulo Senonenſi ſcripſerat pro
" una idonea perſona, ipſi elegerunt prædictum magiſtrum Petrum
" ad Curiam tranſmittendum. Quo recepto honorificè in Curia Ro-
" mana, Dominus Papa fecit Cambellarium Curiæ Romanæ;
" poſtea Archiepiſcopus fuit prout in ſequenti ſua Tabula decla-
" rabo.] Cui tamen hæc præmittit poſt abdicationem ſpontaneam
" Guilielmi de Brocia factam anno 1267. [Eodem anno magiſter
" Petrus de Charniaco commorans ad Curiam Cambellarius Sedis
" Apoſtolicæ, Senonenſis Archiepiſcopus electus communiter, ad
" petitionem & ſupplicationem Capituli Senonenſis per procurato-
" res ſuos, videlicet magiſtrum Gilonem Cornuti & quoſdam alios
" libello electionis Domino Papæ...... [*Clementi, non Grego-*
" *rio.*] tradito, præſentationeque per magiſtrum prædictum Gilo-
" nem Cornuti ſolemniter factâ, confirmatur, conſecratur & ho-
" nore pallii decoratur.) Cui Clementi IV. Petrus acceptiſſimus fuit, quem gratia ſpeciali dignatus eſt in epiſtola ad S. Ludovicum
" Regem (Adeo fideliter nobis & Eccleſiæ Romanæ ſeruivit, quòd
" quam plurimum circa ipſum afficimur, & eum in charitatis viſce-
" ribus per dilectionem portamus. Dignè igitur ipſum plena bene-
" volentia proſequentes, Regalem magnificentiam paterno roga-
" mus & hortamur affectu, quatenus eumdem Archiepiſcopum quo
" mentem noſtram Tibi fiducialiter aperimus, & Eccleſiam ſuam
" habeas favorabiliter commendatos &c.) Epiſtola illa anno 3. Clementis, concurrit cum primo Sedis Petri de Charniaco. De
" quo iterum chron. MS. Tabula 50. [Venit Senonis gaudenti-
" bus Clero & populo, & die ſanctæ Pentechoſtes à Monaſterio ſan-
" cti Petri Vivi per milites ad majorem Eccleſiam deportatur, & re-
" cipitur cum gaudio maximo & honore & reverentia. Iſte Petrus de

de humili fuit, ſed famoſus ſcientia, juſtitia & moribus ſanctitatis, aſpectu amabilis &..... gratioſus &c.] Tum concludit (Anno Domini 1274. Domnus Petrus de Charniaco vir ſanctæ memoriæ obiit. In choro majoris Eccleſiæ ſepelitur. Gratioſiſſimus fuit; multa bona fecit, palatiumque quod conſtruxerat bonæ memoriæ Domnus Galterus Cornuti per turrim cadentem deſtructum, renovari fecit.)

Philippum III. ex Africa redeuntem Senonis excepit cum ſummo cleri populique jubilo; Dominiis item & Villis ære ſuo comparatis, Eccleſiæ ſuæ aut Archiepiſcopalis Menſæ divitem penum plurimùm auxit; ſed reformandæ morum, chorique Metropolitani diſciplinæ majus ei ſtudium fuit, ut Canones perhibent ab eo in Concilio provinciali ſanciti. Interfuit Concilio Oecumenico Lugdunenſi ſub Gregorio X. cùm vix reverſus ad ſedem è vivis exceſſit, & 17. Cal. Sept. ſepelitur in introitu chori ad majorem illius januam. Adfuit quidem ſolemni inhumationi corporis S. Ludovici anno 1271. ſed Pontificalibus indumentis ipſe & Pariſienſis Epiſcopus amicti procul faceſſere juſſi ſunt, ne contra Regalis domus immunitates quicquam impunè liceret, inquit Auctor.

Dupleix in Phil. 3. p.332.

78. PETRUS D'ANISI. Succeſſiſſe non putat Guilielmus Nangius quì Gilonem II. Cornuti Petro de Charniaco proximum ſcribit. At nullus, quem legerim, omittit ad fidem chronici MS. ex cujus autographo locum hîc habet: [Anno ab Incarnatione Dominica 1274. Petrus de Aniſiaco jam ſenex & debilis corpore, Theſaurarius majoris Eccleſiæ unanimiter eligitur, ex genere mediocri, ſed ſcientia famoſus, & moribus plenus, regnante ſuper Francos Philippo III. Romæ nullo imperante, ſummo Pontifice Johanne XXI. [al. *Gregorio*] à quo prædictus Domnus Petrus de Aniſiaco confirmatur, conſecratur & honore pallii decoratur. Eodem anno idem Petrus in regreſſu Curiæ moritur, nec Senonis receptus eſt, immò in majori Eccleſia Autiſſiodorenſi, in qua Canonicus fuerat, ſepelitur.) Hinc dubiæ fidei videntur quæ Sanmarthani referunt, celebratam ab eo fuiſſe Synodum Provincialem, cujus quidem Acta dicunt extare in quibuſdam ſchedis, quas tamen nullo chronico charactere notant. Conveniunt obiiſſe Petrum de Charniaco 17. Cal. Sept. Iſtum 8. Idus Decembr. eodem anno 1274. nec minus innuere videntur conſecratum eum à Gregorio X. jam in Italiam reverſo, quod contigiſſe debuit exeunte ſaltem Julio 1274. cum Oecumenica Synodus Lugdun. nondum

completa fuerit ante 17. diem illius menſis: ſic enim ſcribunt de Petro iſto: *A Gregorio Papa X. conſecratur, & in Galliam rediens celebratâ Synodo Provinciali, cujus acta in MSS. ſchedis circumferuntur, expiravit 8. Idus Decembris 1274. ſepultus in Cathedrali Autiſſiodorenſi, ubi Canonicus fuerat.* Verùm quis tutò ſibi perſuaſum habeat intrà tres menſes & paucos dies facta fuiſſe parentalia deceſſoris ſolemni pompa; tùm coiviſſe Myſtas Stephanienſes pro ejus elatione, ſervatis ex jure temporis intervallis, & appenſo per tres dies ad majores Baſilicæ valvas electionis programmate; tùm profectum in Italiam Electum (ſi ſuperis & Sanctamarthanis placet) examini Pontificio & Conſiſtoriali ſubditum; dein confirmatum, & inauguratum. Simul his in Galliam reverſum; & (quod fidem ſuperat) nuſquam inſtallatum, nec Senonis receptam Synodum Provinciæ cum debitis proclamationibus congregaſſe, celebraſſe & canones condidiſſe. Hæc illæſa Clariſſ. Fratrum reverentiâ, ſed tutanda fuit Chronicorum Vivianorum fides, quam integram ſupponere debent Scriptores illi eximii, qui præcipuum ſuæ *Galliæ Chriſtianæ* decus noſtris Odoranno, Clario, & Gaufrido cùm editis tùm MSS. debent.

79. GILO 2. CORNUTI. Priùs *Præcentor Eccleſiæ* » *Senonenſis* (Per viam compromiſſi, *inquit Chronographus Vivia-* » *nus*) eligitur in Archiepiſcopum Senonenſem. Vir nobilis ge- » nere, ſed nobilior mente, Magiſter in Decretis valde elo- » quens, laudabilis, prudens, pius, humilis & honeſtus. Eodem » anno (1275.) multis gaudentibus recipitur, & à monaſterio » S. Petri Vivi in majorem Eccleſiam per milites ſolemniter de- » portatur. In majori Eccleſia tempore ſuo quinque habuit fra- » tres Canonicos ſufficienter literatos, optimè cantantes gratio- » sèque legentes. Ex ipſis tres fuerunt Archidiaconi, quartus » Præcentor, & quintus citiùs moritur.] Anno 1276. (ut eruimus ex Chartophilacio Sandioniſiano) Innocentio V. ſcripſit eo menſe quo obiit, pro ſacra apotheoſi ſeu canonizatione S. Ludovici, quæ anno tantùm 1297. peracta eſt à Bonifacio VIII. poſtridie feſti ſancti Laurentii.

Eo Senonis ſedente, res mira contigit in abbatia S. Petri Vivi, quam Gaufridus à Collone teſtis oculatus & omni exceptione major, his narrat verbis cùm in Chronico tabulâ 51. tum in libello de ſacris Reliquiis ejuſdem Viviani Cœnobii à » ſe edito anno 1294. [De quodam alio liquore qui à capſa » argentea & aurea, (*eâdem quæ hactenus viſitur,*) S. Saviniani

Digitized by Google

manavit, prout ego frater Gaufridus, dictus de Collone, hujus loci Monachus & Sacerdos indignus vidi, adſcribere dignum duxi. Anno Domini 1282. monaſterio noſtro vacante, per mortem bonæ memoriæ Domini Gaufridi Abbatis, ſororis cujus filius fui; accidit in craſtino B. Joannis ante portam Latinam, quo die celebratum fuit feſtum Aſcenſionis Domini, & peractâ proceſſione, ut moris eſt, à conventu; & capſâ in qua corpus B. Saviniani requieſcit, poſitâ ſuper altare, quæ per me tunc Diaconum, & per fratrem Johannem Rigaudi Sacerdotem delata fuerat ad proceſſionem; foraminibus vel poris minimè perceptis, ſuavis liquor ab eadem capſa quaſi celitus emanavit, & à dicta capſa uſque ad altare, ab altari verò uſque ad pavimentum abundanti ſtillicidio decurrebat. Quem liquorem omni reverentiâ cum veteratis corporalibus & palliis abſterſimus, ponentes inter alias Reliquias conſervandum.]

Narrat Nangius in Chronico ad annum 1275. quid diſſidii Gilonem inter & Petrum Remenſem interceſſerit in coronatione Mariæ Franciæ Reginæ Pariſiis factâ anno 1275. qui erat primus Sedis Gilonis. [Maria Regina Franciæ in feſto S. Joannis Baptiſtæ apud Pariſius coronatur & inungitur in Reginam: quam quia Petrus Remenſis Archiepiſcopus illam inunxerat, Gilo Senonenſis Archiepiſcopus in ſuæ Senonenſis Eccleſiæ præjudicium fieri conqueſtus eſt. Nam ſicut legitur in quadam Ivonis Carnotenſis Epiſcopi epiſtola, ad Archiepiſcopum ſedis Belgicæ, quæ eſt Remis, non pertinet extra ſuam provinciam Regum inunctio vel etiam Reginarum. Super quo ex parte Regis fuit allegatum, quòd factum non fuerat unde poſſet conqueri Senonenſis Archiepiſcopus, cùm capella domûs Regis exempta foret Pariſius, & ideo ratione loci ad ipſum inunctio non ſpectabat.] Hæc revera ſcripſerat Ivo adversûs Sampſonem Remenſem anno 1154. gratìs arguentem Hugonem Senonum Antiſtitem, qui Conſtantiam Hiſpaniæ Regis filiam matrimonio junxerat cum Ludovico VII. & Aurelianis Reginam inunxerat, ut jam diximus: quo honore plures alii Senonenſes Archiepiſcopi commendantur. Anno duodecimo Philippi III. Martinus IV. Pontifex Romanus & recèns electus, cui cum Gilone non novus erat amicitiæ fomes, ei Capituloque ſuo mittit unam de coſtis B. M. Magdalenæ, anno 1281. quam auro puriſſimo gemmiſque protectam fidelium oſculis exhibet Eccleſia Senonenſis. De Gilo-

Digitized by Google

nis in eam munificentiâ, conſule Tabularios.

Tabulam Gilonis & vitam ejus hâc claudit epigraphe Chronicon Ms. Gaufridi à Collone. [Anno 1292. obiit bonæ memoriæ magiſter Gilo Cornuti Senonenſis Archiepiſcopus laudabiliter: qui Eccleſiam Senonenſem abſque ſuperbia piiſſimè gubernavit. Moderatus erat in expenſis, in domibus ſubditorum, & in ſuis locis largus & providus, & cum ſupervenientibus honeſtis multum gaudens. Per ipſum major Eccleſia multas poſſeſſiones acquiſivit apud Villam-novam Archiepiſcopi, & aliis locis. In choro majoris Eccleſiæ juxta Galterum Cornuti avunculum ſuum Senonenſem Archiepiſcopum ſepelitur, &c.]

Simonem de Perrucheo (ut habetur apud Buretellum, & Coquinum MSs.) ab A.S. confirmatum & conſecratum Epiſcopum Carnotenſem, & monitum à Gilone, ſed recuſantem reverentiæ & ſubjectionis ſacramentum præſtari ſolitum Metropolitano & Eccleſiæ Senonenſi, quòd jam illud Romæ præſtitiſſet ſummo Pontifici, illum à muniis pontificalibus exercendis ſuſpendit, donec pareret, ut fecit anno 1280. Ad valvas priùs majoris Eccleſiæ obviâ proceſſione ſuſceptus pari ſe devovit juramento, & ibidem eidem Giloni Guilielmus de Greſſibus Autiſſiodorenſis Antiſtes, qui quatuor etiam libras jure & conſuetudine præſtari ſolitas citra typhum omnem exolvit. At ſi Gaufridi noſtri fides non vacillat in chronicis notis, ruit hìc tota Cl. Robert Chronologia, qui Guilielmum 13. annorum Sedis putat è vivis ſublatum fuiſſe anno 1280. quo debitam Eccleſiæ Senon. clientelarem teſſeram exhibuiſſe dicitur.

80. STEPHANUS BEQUARD de Penoul, paterno & materno genere nobilis; majoris Eccleſiæ Decanus & canonum ſcientiâ præſtantiſſimus, hoc elogio celebratur in Chronico veteri Ms. quod hìc definit tabulâ 52. ad annum 1194. Reliqua ſchedæ noſtræ Ms. ſequioris ævi miniſtrabunt. [Anno 1292. Stephanus dictus Bequard Magiſter in Decretis, nobilis genere, ſed nobilior moribus, tunc Decanus majoris Eccleſiæ Senonenſis per viam ſcrutinii communiter eligitur; & eodem anno iter arripuit ad curiam Romanam, conſummationem, conſecrationem & honorem pallii recepturus. Tunc vacabat ſedes Apoſt. per mortem S. memoriæ Nicholai IV. . . . . . . Celeſtinus V. Domnum, immo Magiſtrum Stephanum dictum Bequard, Senonenſem Electum, nobilem vi-

Digitized by Google

rum, prudentiſſimum, confirmavit, conſecravit vel conſecrari fecit, honoreque pallii decoravit, prout in literis dicti Archiepiſcopi, quas miſit Senonis, continetur. Anno Domini 1294. die Sabbati poſt Epiphaniam Domini Magiſter Stephanus rediens à curia Romana receptus fuit in monaſterium S. Petri Vivi Senonenſis cum maxima reverentia, & ſequenti die Dominica à dicto monaſterio ad majorem Eccleſiam fuit deportatus, & à Canonicis majoris Eccleſiæ, pro ut moris eſt, fuit receptus.]

In illo jucundo adventu, cùm placet Senonenſibus Archiepiſc. ſolemnem adornari, primùm moris eſt ut pridie ad monaſterium S. Petri Vivi accedant, & excipiantur à conventu Monachorum impenſis Abbatis, quas Johannes Seguin de Sinemuro Abbas Vivianus, reduci procuravit ab Urbano V. ad decem florenos auri pro prandio & cœna Domini Senonenſis & ejus familiæ, ut infra dicetur ex Bulla quæ notat ſexcentas libras turonenſes priùs non ſuffeciſſe: nec plus inſumſit Carolus Prevoſt Abbas Reginaldum de Beaune ſolemniter excipiens anno 1602. Tum pernoctat Archiepiſcopus ſuper ſepulchra Martyrum ejuſdem Baſilicæ S. Petri Vivi. Poſtridie confluentibus ad eam Clero, Magiſtratibus & plebe Senonenſi, præſtat ſolitum juramentum, & ab Archidiacono Senonenſi inſtallatur in ſede Abbatis, & à Monachis æmulæ devotionis impulſu defertur in faldiſtorio à janua chori ad valvas Baſilicæ ſuæ, ubi Abbas, aut eo abſente major de choro publicè perorat bajulationem illam merum eſſe gratæ mentis & reverentiæ filialis monimentum. Dein comparere debent Barones clientelaris obſequii, RR. Archiepiſcopum à limine Baſilicæ Vivianæ ad majorem geſtaturi: qui in receptione dicti Stephani Bequard, ex ſchedis noſtris hi fuerunt [Anno Domini 1294. die dominica poſt Epiphaniam Domini, quâ die Domnus Stephanus Dei gratiâ Archiepiſcopus Senonenſis in proximo ſui adventu fuit receptus in monaſterio S. Petri Vivi Senonenſis, præſente ibidem Domino Archiepiſcopo, præſentaverunt ſe perſonæ infra ſcriptæ pro faciendo ſervitio in quo prædicto D. Archiepiſcopo tenebantur, & cunctis Archiepiſcopis tenentur: videlicet pro deferendo Domino ab hinc uſque ad Eccleſiam S. Stephani Senonenſis die receptionis ejuſdem, & eum portaverunt; ſcilicet prò Comite Joigniaci, Guilielmus de Joigniaco ejus avuncu-

„ lus ; pro Domino de Piſonte & de Curtenayo, Dominus „ Stephanus de Galathas miles ; Dominus Petrus de Sancto-Fi- „ dolo, pro ſe perſonaliter ; D. Guilielmus de Thianges Do- „ minus de Marolis pro ſe perſonaliter ; Anſelmus de Trian- „ gulo, pro ſe perſonaliter ; Joannes de Bacrois & Guiliel- „ mus de Bracois perſonaliter pro ſe ; omnibus aſſerentibus „ pro ſe & pro abſentibus ad eum portandum teneri. Et dicto „ die ex parte Domini Archiepiſcopi fuit publicè proclama- „ tum in monaſterio prædicto, ſi foret hîc Comes Campaniæ vel „ aliquis pro eo, quem dicebat ad eum portandum teneri ? Pro „ quo Comite præſentavit ſe coram dicto Archiepiſcopo Domi- „ nus Hugo de Bouilla, dicens, quòd ſi Comitem Campaniæ „ crederet ad illud vel aliud ſervitium teneri, faceret illud li- „ benter & adimpleret. Sed quia ad hoc dictum Comitem Cam- „ paniæ non credebatur teneri, nec credebat quòd aliquis dicti „ Comitis prædeceſſorum illud ſervitium feciſſet, ideo dictum „ ſervitium facere recuſavit. Ad hæc omnia pluribus fide & te- „ ſtimonio dignis, præſentibus videntibus & audientibus.]

De ſumtibus autem in gratiam Monachorum *Vivi* per Urbanum V. paternè reductis, hæc tantum ex prolixiori Bulla „ ſuffecerint. [Nos igitur pro vobis compatientes affectu, ac „ cupientes ut ſuſtentari faciliùs, & vobis incumbentia onera „ faciliùs ſupportare valeatis, ab expenſis hujuſmodi relevari ex „ præmiſſis cauſis, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclina- „ ti, volumus, vobiſque apoſtolicâ auctoritate concedimus, quod „ tu fili Abbas & ſucceſſores tui Abbates qui erunt pro tempore, „ ac conventus dicti monaſterii, deinceps ratione prandii & „ cœnæ hujuſmodi non teneamini ſolvere ultra decem florenos „ auri, nec ad ſolvendum aliquid aliud quàm dictos decem flo- „ renos pro ipſis expenſis fiendis die prædictâ poſſitis à quoquam „ inviti coarctari. Pro quibus quidem decem florenis ſolvendis „ impoſterum per te & ſucceſſores ac conventum prædictos ei- „ dem Archiepiſcopo dum in ſua nova promotione ad dictam „ civitatem venerit, ut præfertur, te & ſucceſſores ac conven- „ tum prædictos ab omnibus expenſis hujuſmodi liberos eſſe vo- „ lumus & immunes, diſtrictiùs inhibentes eidem Archiepiſco- „ po qui eſt & erit pro tempore, ne per ſe vel alium ſeu alios „ contra voluntatem & conceſſionem noſtras hujuſmodi aliquid „ aliud exigere, recipere vel attentare præſumat, &c. Datum „ apud montem Peſſulanum Magalonenſis diœceſis 5. Kal. Fe-

Digitized by Google

bruarii,pontificatus noſtri anno quinto.] Chriſti 1367.

Stephanus cum prælatis & proceribus Regni Sandionyſiopoli præſens fuit, cùm levatum fuit è terra corpus S. Ludovici, qui anno præcedenti 1297. lauream ſanctitatis & ſupremos Eccleſiæ honores conſecutus fuerat. Carolum II. Siciliæ Regem libertati reſtitutum,& in Gallia Regem inviſurum ſummo apparatu Senonis excepit in Monaſterio S. Petri Vivi: in quo (inquit Gaufridus in fine Chronici ſui) ſanctorum lipſana inviſere & ibi pernoctare voluit. Doctiſſimus Sirmondus, & poſt eum eruditione non inferior Philippus Labbeus in editione Concil. generalium Tomi XI. pag. 1432. & ſeq. Synodum ejus inſerüere Meloduni celebratam cum ſuffraganeis ſuis 12. Cal. Febr. anno 1300. cujus plures extant canones. Et ex Tabulario Regio diſcimus anno 1302. al. 1303. die 10. Aprilis Stephanum juſſu Philippi Regis Pariſiis interfuiſſe celebri Congregationi Regni Prælatorum, Abbatum, Baronum &c. cauſâ diſſidii Bonifacium inter & Philippum. Anno 1309. Paſtorali ſolicitudine de grege ſuo bene meritus, & de Senonenſi Eccleſia multis donariis, appoſitus eſt ad patres ſuos, & ad majus altare à parte dextra tumulatus, expletis in Pontificatu annis 16. menſibus octo, diebus. 3.

81. PHILIPPUS DE MARIGNI. In quibuſdam recentiorum Elenchis poſt Stephanum Bequard recenſeturPhilippus Beodi, nullo vade, nullo ſponſore. In antiquorum Tabulis Philippus quidem ſed nullo cognomine de Beodi, aut Marigni inſcribitur. Vix chronologia patitur duos fuiſſe, nec diſplicet conjectura Cotronii in chronico recentiori, fallaciam nominum eſſe, non pluralitatem, quidquid Buretellus, Coquinus &c. quibus farrago placuit, ſcripſerint; ut aliis moverent orexin, à qua ſibi prudenter cavent Sammarthani; quibus jam chronicis noſtris deficientibus, inhærere mihi religio eſt, nec alium quàm Philipp. de Marigni hîc intexere. Videtur tamen Nangius in Chronico ad an. 1310. duos agnoſcere Philippos, ut infrà. Fratres habuit Philippum Dominum d'Eſcouys in Diæceſi Rotomagenſi, Enguerranum qui fortunæ ludibrium fuit, & Joannem Rothomagenſium præſulem qui natu minimus erat. Philippo IV. Francorum Regi primùm ab Epiſtolis & intimis Conſiliis fuit; tùm ad Cameracenſem ſedem aſſumptus anno 1303. poſt ad Senon. evectus Dominica 5. Quadrag. anni 1310. præſtito prius juramento Decano & Capitulo Senonenſi in Baſi-

Digitized by Google

lica S. Petri Vivi, pro more, & in hac forma. [In nomine Domi-
„ ni Amen. Per hoc publicum Inſtrumentum pateat univerſis
„ quòd anno Domini 1309. ſecundùm ſtylum Romanæ Curiæ,
„ Indict. VIII. menſe Aprili, die Dominica ante Ramos palma-
„ rum, Pontificatus SS. Patris ac D. Domini Clementis divina
„ providentia Papæ V. anno 5. in mei Notarii infra ſcripti &
„ teſtium ſubſcriptorum vocatorum & rogatorum præſentia, Re-
„ verend. in Chriſto pater ac D. D. Philippus Dei gratia Seno-
„ nenſis Archiepiſcopus in choro Eccleſiæ S. Petri Vivi Senonen-
„ ſis, præſentibus venerabilibus & diſcretis viris Decano & Ca-
„ nonicis Senonenſibus, qui obviam dicto Domino Archiepiſcopo
„ proceſſionaliter venerant, immediatè antequam dictus D. Ar-
„ chiepiſcopus recederet à dicta Eccleſia, & poneretur in Cathe-
„ dra, ſuper quam in primo adventu ſuo deportandus erat ad Ec-
„ cleſiam Senonenſem, præſtitit tactis ſacroſanctis Evangeliis
„ corporaliter juramentum de obſervando ea quæ ſequuntur in
„ hæc verba: Ego Philippus Senonenſis Archiepiſcopus jura Ca-
„ pituli Senonenſis communia & privata, conſuetudines & liber-
„ tates ac privilegia Capituli & Eccleſiæ fideliter obſervabo. Sic
„ me Deus adjuvet & hæc ſancta Evangelia. Actum anno, indic-
„ tione, menſe, die & Pontificatu prædictis. Præſentibus religio-
„ ſis viris fratribus Johanne S. Columbæ, Jacobo S. Petri præ-
„ dicti, & Johanne S. Johannis Senonenſium Monaſteriorum Ab-
„ batibus, & Stephano priore S. Aigulphi de Pruvino, ac diſcreto
„ viro Magiſtro de Courcello Officiali Curiæ, Archidiacono Se-
„ nonenſi teſtibus vocatis & rogatis. Et ego Adam de Monthelon
„ clericus, Apoſtolica auctoritate Notarius publicus, prædictis
„ omnibus interfui, & hoc publicum Inſtrumentum manu propria
„ ſcripſi, meoque ſigno conſueto ſignavi rogatus.]

Eodem ſuæ ordinationis anno Concilium ſuæ Provinciæ Pa-
riſiis habuit jubente Rege, de quo Guiliel. Nangius in Chroni-
„ co ad an. 1310. [Concilium Senonenſis provinciæ propter
„ factum Templariorum ab XI. die (*octobris*) ad XXVI. diem, *ſecundo*
„ Philippo tunc Archiepiſcopo præſidente, Pariſius celebratur.
„ Illic ſane Templariorum ſingularium factis & ea tangentibus di-
„ ligenter inſpectis, penſatis eorumque demeritis qualitate nec-
„ non circumſtantiis cum multiplici veritate; ut ſecundum men-
„ ſuram delicti eſſet & plagarum modus, juxta conſilium tam in
„ jure divino quam in Canonico peritorum, ſacro approbante
„ Concilio, *Viennenſi*, diffinitum eſt &c.] Hanc Nangii perico-
pen

Digitized by Google

pen Labbeus ex integro refert pag. 1535. tomi X. Conciliorum, ſed ingenioſè ſuſtulit dictionem illam *ſecundo*, ratus non alium revera Senonis ſediſſe Philippum quàm Marignæum: aut eo expuncto, Beodi præfuiſſe. In quam partem propendeat Lector, fateatur neceſſe eſt (ſi Nangio fides) Philippum Beodi de Penoul, qui primus in recentiorum chartis præcedit, vix ſuam ſedem inviſiſſe, & ſtatim honori & vitæ ceſſiſſe.

Ludovicus Baïl in ſumma Conciliorum nobis edidit ex Bibliotheca Victorina ad muros Lutetiæ, Concilium Philippi Senonenſis cum ſuffraganeis ſuis anno 1314. cujus tria capitula ſeu canones extant cum hac præfatione (Philippus miſeratione di- « vina Archiepiſcopus Senonenſis, in provinciali Concilio anno « Domini 1314. die Martis ante Tranſlationem S. Nicolai cum « continuatione dierum ſequentium Pariſius celebrato ad perpe- « tuam rei memomoriam.) Expletis quindecim annis regiminis « Pariſiis obiit anno 1325. cui tumulum Carthuſiani Vallis-viridis ad Lutetiam poſuêre juxtà lævam aræ majoris, cippo ſepulchrali Literis inſcripto cum vitæ ſynopſi. Sanctamarthani pag. 643. loco Philippi Beodi, alteris meminere, quem Philippum Becardum nominant, Catalogo Senonenſium inſertum, in quo quàm lubrica fides & inſtabilis ſcriptorum opinio, cùm authentica vacant, meminerit Lector. Eccleſiam Vallis-profundæ Carthuſianorum cœnobitarum, altero à Iuviniaco, lapide, dedicavit Philippus anno 1312.

82. GUILIELMUS DE MELUN. Nota Senonibus tanti nominis familia, ex qua parentes hujus Guilielmi Adamus vicecomes Meloduni & Johanna de Soliaco; cujus frater fuit Johannes Comes Tancarvillæ, Franciæ Cambellanus. Anno 1315. Concilium Senonis indixit in cauſa Petri de Latilli Epiſcopi Catalaunenſis & Franciæ Cancellarii. Quinque poſt annos, anno ſcilicet 1320. aliud Concilium habuit quo in honorem SS. Euchariſtiæ Sacramenti, ſic ſtatuit Guilielmus (Statuimus ac « etiam ordinamus ut quilibet Diœceſanus in ſua Diœceſi plebem « à Deo ſibi commiſſam, tam per ſe quàm per alios, loco & tem- « pore congruis, ſalutaribus monitis inducat, ut quarta feria præ- « cedente feriam quintam poſt Octavas Penteccoſtes, qua ſummi & « magnifici corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti Sa- « cramenti memoria celebratur, ad honorem tam pretioſiſſimi Sa- « cramenti, ac ipſarum plebium ſalutem animarum ſe ab eſu car- « nium abſtineant & jejunent &c.) Eadem cum ſuffraganeis ſuis «

V

Digitized by Google

confirmavit in alio Concilio anni 1323. die Sabbati poſt feſtum S. Mathiæ, quibus ſuam in SS. Sacramenti cultum animi devotionem mirificè propagavit apud alios Galliarum præſules. Ei Deus metam laborum fixit in Jardi Monaſterio prope Melodunum in profeſto SS. Simonis & Judæ anno 1329. Indict. 12. & Philippi Valeſii anno 2. Ex quo Cœnobio in urbem elatus ſepultus fuit in choro Metropolitano.

MONITUM.

Gravis hîc oritur difficultas uter amborum in hac Senonenſium Præſulum ſerie præferendus ſit, Petrus Rogerii, qui fuit Clemens Papa VI. aut Guilielmus II. de Brocià. Quotquot ſuccurrunt hîc mihi ſcriptores Senonici Tavellus, Buretellus, Coquinus, Cotronius, & ipſe Claudius Robert in *Gallia Chriſtiana*, ut non taceam indigenas, primùm inſcribunt Guilielmum, dein Petrum Rogerii. Repugnant Sanctamarthani, quorum eruditio ſingularis invitum me propè trahit. Verùm nec benè ſincera nec ſubſtentata mihi videtur eorum opinio. Citant pro ſe (præter laudatum Spondanum ex quo nihil, ſi nomen excipiàs, prorſus derivant) Acta Collationis illius celeberrimæ prælatos inter Gallicanos & Petrum Cunerium coram Philippo Valeſio anno 1329. in qua Senonenſis & Æduenſis mira perorarunt pro tuenda Prælatorum juriſdictione in utroque foro Eccleſiaſtico & Civili: ſed in illis Actis nulla prorſus de Petro Rogerii mentio, cùm editis, tum MSS. Integram habeo penes me Collationem illam in Cod. MS. in quo Guilielmi de Brocia nomen ter quaterve ſcribitur in diſtinctionum ſeu §. lemmatibus, & ipſo contextu, quoties ejus fuit coram diſſerere alternis vicibus cum Petro Bertrandi. Ipſe Buretellus qui ſchedis probè dictatis ſedulus imcubuit, Petrum Rogerii ſtatim poſt Guilielmum de Brocia collocat pag. 297. in MS. Quem Guilielmum tempore dictæ Collationis ſolum electum & nondum Senonis publicè receptum innuit, cùm ejus ſolemnem in Eccleſiam Senon. ingreſſum ſic edicit. [Anno Domini 1329. D. Guilielmus de Brocia Senon.
» Archiepiſcopus à Capitulo Metropolitanæ Eccleſiæ S. Stephani
» electus, & à Domino Johanne Papa XXII. confirmatus; poſt
» diſputationem habitam coram Rege Philippo pro libertate Ec-
» cleſiæ ſervanda contra Mag. Petrum de Cugneriis, ut ſupradictum
» eſt; ab eodem Rege benignè licentiatus cum aliis Prælatis qui
» huic diſputationi fuerant invitati, Senonas petiit ubi honorifi-

Digitized by Google

centius quàm dici queat, die Dominica ante feſtum omnium Sanctorum receptus eſt.] Niſi mavis dicere ante Collationem illam inſtallatum fuiſſe; & anno ſequenti, poſtquam diu Pariſiis hæſit in Aula, Senonas reverſum, partâ jam victoriâ, cum omnium plauſu & celebri epinicio exceptum fuiſſe.

At audiendi Sanctamarthani nihil certi pro Petro Rogerii ſtatuentes & probantes [Obſervandum eſt autem, *pag.* 644. putaſſe aliquos electum iſtum hoc eodem anno. 1329. Senonenſem fuiſſe Guiliel. de Brocia qui præpoſtero hactenus ordine in omnibus Catalogis recenſebatur. Sed Acta (*non indicant*) diſputationis refragantur, cùm in ſerie Antiſtitum qui interfuere, Senonenſis pro Epiſcopis orationem habuerit.] Non dubium Senonicum Antiſtitem plura coram dixiſſe in illo Congreſſu, & cum Bertrandi primas certaminis obtinuiſſe: ſed in Codice noſtro MS. Senonicus ille ſcribitur fuiſſe Guiliel. de Brocia; & qui paria cum ſchedis noſtris & auctoribus mox laudatis ſentiunt, ejus dubio procul nomen legerunt: aut alia nobis & magis germana miniſtrentur Acta diſputationis illius. Prætereà quidam chronologiæ nævus eſt apud Clariſſ. fratres, cùm Guilielmum de Durefort deceſſorem Rogerii putant conceſſiſſe fatis 8. Cal. Decembris anni 1330. & 17. Cal. Januarias ejuſdem anni 1330. Petrum Rogerii (quem tunc Senonenſem volunt) Rotomagenſem Archiepiſcopum fuiſſe. Certum eſt enim Durafortem anno 1331. ſententiam ſcriptis tradidiſſe (quam eruditus Hemereus Doctor Sorbonicus exſcriptam voluit in *Auguſta* ſua *Viromanduorum*) qua jus Patronatus Parochiæ de Soteville, S. Quintini Canonicis adjudicatur; poſt quam contendentibus iterùm partibus, idem Archiepiſcopus litem pacificè terminat Curticellis prope Giſortium eodem anno 1331. In hoc igitur deliquium patitur Sanctamarthanorum fides in Rogerio Guilielmo de Durefort ſuccedente Rothomagi, quid non in Guilielmo de Brocia cui Senonis præiviſſe putat, non conſentiente tanta teſtium nube, qui glomerantur eodem.

Potuit germanorum par inclitam (niſi Acta melioris notæ Collationis illius ſuppeditentur) in eam concedere ſententiam de Petro prius Senonis ſedente, ex iis quæ auctor Appendicis Nangiani ad an. 1330. ſic ſcribit de eo: [Circa iſta tempora obiit Archiepiſcopus Rothomagenſis, & Magiſter Petrus Rogerii Monachus & Doctor in Theologia, vir eloquentiſſimus de Epiſcopatu Senonenſi, quem vix per annum integrum tenuerat, in Rothomagenſem tranſlatus eſt.] At à Sandionyſiano Monacho procul ab-

ſunt Senonenſes. In his cimmeriis tenebris nullus utrubique qui lucem affundat, citrà ſcrupulum occurrit; ancipiti tamen & verè perplexo præire malim Sanctamarthanos.

83. PETRUS ROGERII. Ex vico Rozieres apud Lemovicenſes qui Caſtri Malimontis clientelare dominium eſt; patre Guilielmo, matre Maria de Chambon de ſtirpe Munſtria, à qua forſan ei cognomen inditum Petri Munſtrii: fratrem habuit Guilielmum Rogerii Comitem de Beaufort, patrem Gregorii XI. qui anno 1370. 30. Decemb. Urbano V. ſucceſſit. Apud Benedictinos Monaſterii Caſæ-Dei in Arvernis Monachum profeſſus, & regularibus diſciplinis ac humanioribus literis ibidem laudabiliter inſtructus, ab Abbate Lutetiam mittitur, ubi in Collegio Narbonnenſi, indulto ſpeciali receptus, in Theologia & Canonum ſcientia mirè profecit, & laurea doctorali in celebri Sorbonnæ domo (quæ tùm ut ſemper ſacrarum Muſarum domicilium erat) inſignitus fuit: in qua etiam votis omnium Proviſor cooptatus, tali munere non ſolùm ſe parem ſed etiam ſe gratum oſtendit; cùm jam ſummus pontifex renunciatus pingi ſe voluit in illius Collegii Oratorio ſeu Sacello coram imagine Deiparæ genuflexum cum hac epigraphe, *Clemens VI. Papa, Proviſor hujus domus.* Quam benevolæ mentis teſſeram aſpeximus, donec eminentiſſimæ domûs reſtaurator Armandus Joannes du Pleſſis dux Richelius Cardinalis, ſummuſque Regni Miniſter ſub piiſſimo Rege Ludovico XIII. ac Sorbonnæ itidem Proviſor, veteri deſtructâ, ſuperbam illam ſacræ Baſilicam molitus eſt, & ad umbilicum perfecit, ſuoque corpore ditatam voluit, ut abundantiori penu dotatam. Præter reliquas animi dotes quibus doctus ille Cœnobita mirabilis audiit, excelluit in eo memoriæ facilis & tenax apprehenſio, quam ſobrius ad laudes Petrarchus mirò commendat; nec tacent, præter indultum à natura bene volente beneficium, ei etiam ex jactu lapidis occipitium terebrantis, cui cicatrix & callus obduruit, dotem hanc illi ſingularem accreviſſe: ut in quibuſdam aliis mihi bene notis, & apud Auguſt. lib. 4. *de Anima.* Mirum illud quod quidam referunt de Petro Rogerio & Carolo IV. nondum Cæſare, mutuò fœderatis; ſibi viciſſim Pontificatum & Imperium prædixiſſe; ſed fides penes Auctorem qui aliis præivit.

A Petro de Mortuo-mari (qui Cardinalis Pictavienſis dicebatur) ſibi conjunctiſſimo accitus, ejus operâ Johanni XXII. notus, tùm per ſe commendabilis, plurimis à Pontifice gratiis & Sacer-

Digitized by Google

dotiis donatus eſt, præſertim Abbatia Fiſcanenſi, ſuaque Caſæ-Dei; poſtmodum Atrebatenſi Cathedra anno 1332. Quo tempore Philippo Valeſio Regi charior in dies factus, ab eo regiorum Sigillorum cuſtodiæ & uſui præficitur, tùm Sedi Senonenſi ejus poſtulatione, ſed quam vix adeptus ſit, cùm ipſo electionis anno ad Pontificale ſolium Rothomagi ſit aſſumptus. Quæ tamen Senonis curſim peregerit, indicat Tavellus, & ex eo Sanctamarthani, quamvis in chronicis notis, ut vidimus, non conſentiant. A Rege ad Pontificem publicus orator pro terræ ſanctæ ſubſidio, Regi crucem detulit juratæ teſſeram expeditionis; ſed quæ peſſum iit, orto tum Francos inter & Anglos novo diſſidio. Eccleſiaſtico dogmati de beatitudine ſanctorum ante finem mundi, quæ in dubium revocari videbatur à nonnullis, & laboranti Pontificis famæ, novitatis tum perperam incuſati, prudens conſuluit in Colloquio Regis & Prælatorum apud Vincennas habito. Multis aliis legationibus egregiè functus, quibus de Eccleſia & Regno benè meritus fuit, ſibi Cardinalatum promeruit, quo à Benedicto XII. 17. Decembr. anni 1338. infulatur. Onerì & honori jam diu maturus erat ſub Johanne XXII. ſed moras injecit Philippus, non paſſus tantum virum à ſuis abeſſe Conſiliis, & Regni clavo. Tunc dictus eſt Cardinalis Rothomagenſis, vivente Papa Benedicto; quo è vivis ſublato 25. Aprilis anni 1342. Rogerius ſummus Pontifex eligitur 7. Maii, & 19. ejuſdem inauguratur aſſumpto ſibi nomine Clementis, præſentibus Normanniæ, Borbonii & Burgundiæ ducibus. Anno ſequenti die 27. Januarii ſuo Diplomate ſanxit, ut deinceps quinquageſimus annus Jubilæus foret, qui prius centeſimus erat. Duce Bavariæ ab Imperii faſcibus iterùm excedere juſſo, multus incubuit apud Septemviros, ut Carolus Moraviæ Toparcha & Johannis Bohemiæ Regis filius, vice damnati præficeretur, quem 19. Julii 1346. electum confirmavit. Avenionem & Comitatum adjacentem, gravi ære Johannæ Siciliæ Reginæ numerato, ſibi & ſucceſſoribus acquiſivit anno 1348, nona Junii. Expletis in Pontificatu 10. annis, menſibus 7. Avenione obiit ſexta Decembris 1352. Cujus corpus ad funeris pompam medio anno in majori Baſilica depoſitum; tandem elatum eſt ad Caſæ-Dei Cœnobium, in quo Monaſticen profeſſus fuerat, eo ſupremis tabulis ſic ordinante; comitantibus quinque Patribus purpuratis, fratre ſcilicet ſuo & tribus nepotibus à ſe promotis. De quo vetus codex Vaticani: *Hic fuit vir magnæ dignitatis & ſcientiæ, atque fons ſermocinationum. Hic largiſſimus fuit atque in omnibus placi-*

dus & affabilis, necnon commendabilis.

84. GUILIELMUS II. DE BROCIA. Prætermiſſâ de ordine recenſionis controverſiâ, dici jam debet eum Petro Rogerio ſucceſſiſſe. Inter præcipuos fuit qui Regi Philippo fauſta precatus eſt in Conventu Pariſienſi, poſt partam de Cunerio victoriam, quâ Cleri decora ſacerque penus integra manſêre. Hinc erectum Regi in antica parte Baſilicæ Senonenſis trophæum inſigne, præferens effigiem ejus equeſtrem cum hoc dyſthico:

Regnantis veri cupiens ego cultor haberi,
Juro rem Cleri, libertatemque tueri:

Anno 1346. mediâ quadrageſimâ Lutetiæ Concilium cum ſuis ſuffraganeis celebravit, & patrui ſui ſinonymi conſtitutiones, quibuſdam additis & detractis, renovavit; & canone ſeu capitulo 13. & ultimo ſuam in B. Virginem Deiparam devotæ mentis pietatem maximè commendat. Primùm Aniciénſis Epiſcopus fuit, dein Meldenſis; inde tranſlatus ad ſedem Bituricenſem à Joan. XXII. anno 1321. Hîc mendum eſt aut lubrica chronologiæ nota apud Sanmarthanos, qui num. 75. in Bituricenſibus habent traductum Senonas Guilielmum anno 1329. Nec tamen Petrum Rogerii Senonis Rothomagum migraſſe niſi anno 1330. medio Decembri, ſcilicet 19. cal. Januarias; nec diverſitas computi Romani & Gallicani locum habet apud viros cordatos. Sub hoc Pontifice (qui plura contulit Eccleſiæ ſuæ Senonenſi) anno 1336. fundatur Eccleſia PP. Cœleſtinorum in Alodio S. Petri Vivi, & ejus parochia S. Petri de Arce, à Joan. de Maſeriis & Iſabella uxore. Demum 1338. die 13. Decembris Nailliaci, altero ab urbe lapide, diem clauſit extremum, ſepultus in majori templo. Extat in tablino domûs Vivianæ autographum inſtrumentum anni 1333. indict. primâ, Julii menſis octavo die, celeberrimæ viſitationis factæ in eodem S. Petri Vivi monaſterio à Guilelmo de Brocia, capitis S. Gregorii Papæ & Eccleſiæ Doctoris, illam requirente pro majori celebritate Joanne de Pariſius Abbate.

85. Philippus de Meloduno [al. *de Medulano, ſed perperam*] ex inclita ſtirpe Adami Vicecomitis Melodunenſis, & Joannæ de Soliaco, filiæ Henrici Franciæ Buticularii oriundus; ex Epiſcopo Catalaunenſi poſtulatione ſeu favore Benedicti Papæ

Digitized by Google

anno ejus quarto, Chriſti 1338. ad Senonenſes infulas evectus & bene meritus ſedit annis ſex & deceſſit 7. Aprilis 1345. librariâ ſuperlectile ſuâ Canonicis relictâ. Ferunt etiam publico bono ſcripſiſſe librum de ſepultura mortuorum, quem ejus encomiaſtes dicit *valde proficuum & utilem, & eleganti & venuſto ſermone contextum.* Humatus jacet in abſide chori Metropolitani ſub mauſoleo marmoreo cum Guilielmo germano ſuo & prædeceſſore.

86. GUILIELMUS DE MELUN, ex nobili ſtirpe Vicecomitum Melodun. quæ plures & inclitæ famæ ſedi Senonenſi Præſules dedit. Patrem habuit Johannem ex Johannæ Creſpin matrimonio Comitem de Tancarville apud Neuſtrios; tum Franciæ & Neuſtriæ Cambellanum. In Eccleſia Pariſienſi eccleſiaſticæ diſciplinæ tyrocinia poſuit, ſibique præter natalium decus, literis & moribus egregiè culto gradum fecit ad celeberrimam Senonum cathedram ſub Rege, quem multis officiis, inſitis à natura dotibus, & mirâ ingenii facilitate in rebus agendis, quæ tum graves urgebant, jam demeruerat. Gratum ubique Johanni, etiam capto, captus ipſe in prælio Pictavienſi 19. Septemb. 1356. animum exhibuit, quâ conſiliis in regni adminiſtratione, quâ legationibus pro libertate Regis, quâ tandem potitus anno 1360. Præfuit Concilio Pariſienſi, quod ex Spicilegio L. Acherii in ſuam Conciliorum collect. tranſtulit Labbæus, abiiſque anno 1346. conſignatur. In ea Synodo, ſicut & in Provinciali anni 1369. multa decrevit Eccleſiarum decori & Dei beatiſſimæque Virginis Mariæ cultui verè germana: eique ut Metropolitano ſumma cura fuit chori Pariſienſis, cui pro religioſa divinorum officiorum celebritate canones edixit. Pariſiis ædem ſacravit in prima delineatione palatii Senonenſis, quod titulo permutationis obtigit ſibi & ſucceſſoribus ſuis. Ampliorem ded cavit apud patres Cœleſtinos Pariſienſes pro piis earum ſynaxibus die 15. menſis Septemb. anni 1370. præſente Carolo V. Rege Francorum, eorum monaſterii fundatore, quâ die votivam ibi dedit crucem argenteam ingentis pretii; Johanna da Borbonio ejus uxore imaginem itidem argenteam B. V. Mariæ, & Guilelmus Senonenſis Archiepiſcopus aliam non minoris pretii S. Petro Cœleſtino ſacram. Priùs, anno ſcilicet 1366. die primâ Junii eoſdem Patres Senonis exceperat magno civitati ſubſidio; quorum Eccleſiam die 7. Junii anni 1372. dedicavit. Carolus V. non ita

Digitized by Google

pridem in regnum evectus, Senonis conventum habuit trium ordinum Galliæ anno 1367. quem ibidem ſummo apparatu Guilielmus excepit, cujus & Canonicorum pietate ductus ſacrum, ſe vivente, de Spiritu ſancto, & poſt mortem, de defunctis quotannis pro ſe celebrandum, preceſque intrà Miſſæ majoris ſolemnia, ſingulis diebus fundendas obtinuit; conceſſo imprimis dominio de Somme-fontaine, &c. Quem jurati obſequii & benevolæ mentis affectum Rex muneratus eſt. Præſulis item in Eccleſiam ſuam munificentia pluribus inclaruit, quam Tavellus amplè proſequitur. Dominicanis & Franciſcanis ex ſuburbanis poſtliminio in urbem admiſſis plurimùm profuit; & quâ pollebat apud Regem auctoritate & gratiâ, quæ ſtabiliendis eorum ſedibus neceſſaria erant diplomata ſtatim impetravit. Capellanos in quorum locum ſuffecti Cœleſtini Senonenſes, & Monachos S. Petri Vivi, quibus in capellam jus erat, in foro civili minùs bene contendentes, ad pacem paternè reduxit, & ea juris integritate quam probavit Capitulum Vivianum cum Feliſio Abbate, die Veneris ante Natale Domini anno 1348.

Obiit Guilielmus die 3. Maii 1378. & in ſiniſtro latere abſidis Baſilicæ majoris juxta patruum ſuum ſepelitur.

87. ADEMARUS ROBERT. Deficientibus mihi cum ætate Chronicis Odoranni, Clarii partim editi, Gaufridi à Collone Ms. & Gaufridi Hiron etiam Ms. qui omnes, ſeu eorum poſtremus ſæculum XIII. non exceſſerunt; mihi tantùm ſuperſunt ſchedæ ducentorum circiter annorum, & recentioris ævi tablina. Certum quidem quò magis ad noſtra tempora properamus pinguiorem effici ſaginam hiſtoriæ; & plura de nuperis quàm de antiquis hujus Sedis Antiſtibus poſſe dici: mihi tamen, & quidem librorum jejuno, quidam recenſendi veniunt magni nominis, ſed quibus par cum dignitate non ſuccurrit hiſtoria. Unus ex illis Ademarus eſt, nobilitate præſtans, purpurâ inſignis, & tot prælaturis auctus, ut ſilentibus aliorum elogiis, ipſe ſibi dici poſſit ampliſſimæ laudis argumentum. Quis enim non fateatur meritis & virtutibus eximium quem invidioſo remunerandi pruritu ad primarias dignitates evexit Eccleſia? Nec civiles & politicæ dotes defuêre, cui ſanctioris conſilii & negotiorum moles incubuit, & in quem Regis gratiæ toties redundarunt. Eodem anno 1342. 12. cal. Octobris Cardinalis renuntiatur titulo S. Anaſtaſiæ

ſtaſiæ à gentili ſuo & Lemovicenſi Clemente VI. & Epiſcopus Lexovienſis. Tum Attrebatenſium & Morinorum ſedibus augetur. Tandem Guilielmo ſupremum diem obeunte, de conſenſu Pontificis & Regis Senonenſibus infulis decoratur anno 1378. cùm tunc celeberrimum illud Metropolitanum Collegium myſtas haberet primæ nobilitatis, probitatis & literarum famâ præſtantes; quos inter numerantur in ſchedis noſtris Vivianis Henricus de Chalon ex nobili familia de Richemer, D'Arlay & ex Mathilde ſorore Hugonis 4. Burgundiæ Ducis; Archidiaconus Senonenſis: Nicolaus, qui fuit Cardinalis tituli S. Martini in montibus, Theſaurarius & Canonicus ejuſdem Eccleſiæ, Archidiaconus Vaſtinenſis ibidem, & ſacrâ purpurâ donatus, dictuſque Cardinal. Ambianenſis: Thomas d'Eſtouteville, Archidiaconus Stampenſis, ex inclita ſtirpe dominorum de Valemont, d'Harcour in Normannia, &c. & qui nobiliſſimo cœtui præibat Ademarus, non minùs ſplendore generis illuxit, ex patre Ademaro Domino de S. Jal equeſtris ordinis.

Quo nomine potiſſimùm inclaruit Ademarus, jugis eſt pro tuendis Eccleſiarum juribus, Cleri decore & immunitatibus conſtantia, cujus infractæ mentis egregium monimentum produnt chartæ noſtræ, quas Tavellus qui noſtrorum apothecas ſemper innocenti plagio delibavit, poſteritati ſacravit his verbis pag. 119. [Jura Epiſcopii ſui integrè tutatus eſt, omneſque conatus ſuos in hoc intendit. Accidit autem ut Præpoſiti juriſdictioni urbis Moreti in Senonenſi diœceſi Clericum quemdam ſceleris obnoxium, carceri manciparent: qui cùm Pontificem Senonenſem judicem ſuum reclamaret, & ut privilegio gauderet, capitis verticem raſerat. Sed hi Præpoſiti damnatum, poſthabito privilegio, ad furcas ſuſpenderant, neque ſacræ raſuræ (quæ tunc in pretio & velut ſacroſancta habebatur) quidquam detulerunt. Et ne populo videretur ſacrâ militiâ inſignitus, capitis tegmen ita conſuerunt ne vertex appareret. Laqueo itaque præfocatus ſcelerum pœnas dedit. Sed hanc rem Ademarus indigniſſimè tulit, & apud Senatum Pariſienſem ſuper injuria Clerico ſuo illata, & in Epiſcopum redundante conqueſtus eſt. Hanc Patres ſeveriſſimè ulti ſunt. Præpoſitorum enim causâ ampliſſimè cognitâ, Clerico laqueo præfocati cadaver è patibulo, deponere juſſi ſunt, & ad januas Eccleſiæ Senonenſis ſuis expenſis ſtatuere, tædis quatuor,

» ponderis librarum quatuor circa defuncti feretrum collucenti-
» bus, & die dominicâ, horâ quâ ſacrum ſolemne offertur,
» apertis capitibus & genibus flexis cadaver Archiepiſcopo aut
» ejus Vicario ab eo commiſſo tradere. Cui Archiepiſcopo etiam
» multam centum librarum Pariſienſium perſolvere ſunt juſſi.]

His Eccleſiæ devotus obſequiis Ademarus, nec impar regni negotiis, pretioſâ morte quievit 25. Januarii anni 1384. & ſuperbo funere elatus in Eccleſiam ſuam, cujus ſuprema
» Buretellus & Coquinus ſic referunt: [Anno 1384. in die
» Converſionis S. Pauli Apoſtoli obiit venerabilis & magnificus
» vir D. Ademarus Roberti Archiepiſc. Senonenſis. Sepelitur
» in Eccleſia S. Stephani Protomartyris juxta campanam quæ
» pulſatur quotidie poſt conſecrationem dominici corporis Jeſu
» Chriſti, quæ eſt ad dextrum cornu magni altaris; ſuper corpus
» ejus extat ſepulchrum marmoreum elevatum uſque in hodier-
» num diem.]

88. GONTHERIUS DE BAIGNEAUX. Jam attritis potentiâ Romanorum Pontificum Capitulorum election ibu, maximè tempore ſchiſmatis, quo quilibet in Papam electus ſibi clientes per prælaturas quas jure vel injuriâ reſervabant, adſciſcere conabantur: illud rei fuit cur Nicolaus de Veres Clero populoque Senonenſi gratiſſimus & canonicè electus, ac etiam denuo terque totidem poſt ſubſequentium Senonicorum Antiſtitum mortem electionibus Papæ præſentatus, confirmationis gratiam impetrare nequiverit, illo apud Regem agente, ut qui gratiâ & autoritate prævaleret in utraque Curia, Senonum ſedi, quæ potentiorum votis ſemper arriſit, præficeretur. Gontherius Regi Carolo V. charus erat, ipſique à ſecretis, & Papæ commodus. Jam Cenomanis præſidebat à ſexdecim annis, cùm pertæſus jurgiorum & litium quas Bulla Clementis VII. cui non favebat Gontherius, excitarat in Eccleſiâ Cenomanenſi, diſtractis per eam Canonicis à juriſdictione ſui Præſulis; & pacis amans cupiduſque quietis, ſibi facillimum fuit ſub Rege diu propitio Senonas traduci poſt obitum Ademari, & ineunte anno 1385. inſtallari. Sic me docet codex Ms. Epiſcopii Cenoman. qui dicitur *Liber Viridis*, in quo charta quædam ſic incipit: *Gontherus permiſſione divinâ Epiſcopus Cenomanenſis; nunc verò eâdem permiſſione Archiepiſcopus Senonenſis, &c.* Sic autem deſinit: *Datum Senonis in domo noſtra Archiepiſcopali die 26. menſis Maii anno Domini* 1385.

Digitized by Google

Conſanguineum habuit Cancellarium de Dormans, & Cardinal. Bellovacenſem ex antiqua familia de Dormans, de Monceaux & de Liſy ſur Ourc; ex qua Guilielmus qui ſibi poſt Guidonem ſucceſſit. Licèt majoribus curis apprimè natus & excultus fuerit, & in quibus laudabiliter ſemper verſatus; ſibi tamen maximè placuit receſſus, muſarum otia quærens, tutumque virtutis domicilium, illud ſuos inter dicere ſolitus, nihil umquam ſibi gratum acceſſiſſe ex tumultuantis Aulæ & negotiorum anfractibus: at Deo ſibique redditum & literis, vitæ jucunda guſtaſſe: unde ſibi noctuam pingi curaverat cum hoc lemmate:

————————*Habitat mens cauta receſſus.*

Speciali cultu Virginis deiparæ devotiſſimus erat, nec tacent etiamnum hodie parietes Eccleſiæ tantæ pietatis monumenta, frequenſque Myſtarum primariæ Baſilicæ chorus, Mariæ laudes ex Ademari codicillis & cum nobili donativo canentium. Vix annum Senonis moratus à decima quarta menſis Maii anni 1385. mortalitatem exuit, cùm in ejus diuturnitatem omnium vota ferverent, ſenio virtutis quàm ætatis adhuc gravior. Ejus fata codex noſter Ms. ſic claudit. [Hic «
cùm eſſet vir ſapiens & grandævus, ab Urbano Papa hujus «
nominis ſexto conſecratus & honore pallii decoratus fuit. Pri- «
vilegia Eccleſiæ S. Nicolai *Villa nova Regis* dedit eodem anno, «
& ſequenti jam ſenex & plenus dierum tranſivit ad patres ſuos, «
ut moris eſt.] Eadem Buretel. & Coquinus. Addit autem Cotro- «
nius ex originali, quod Senonis poſſeſſionem ſolemnem adiit, præ- «
ſtito prius in Eccleſia S. Petri Vivi juramento ſeu ſacramen- «
to ſe Capituli & Eccleſiæ jura ſervaturum, ut conſtat ex actu «
receptionis ejuſdem Gontherii confecto anno 1385. indict. 8. «
menſis Maii 14. pontificatus Clementis divinâ providentiâ Pa- «
pæ VII. (*cui favebant plures Galli*) anno 7. præſentibus vene- «
rabilibus patribus P. Pariſienſi, P. Trecenſi, & N. Cabillonenſi «
Epiſcopis.] Ampliſſimo diplomate *Vivi* Monachos ſibi prome- «
ruit, omnes deceſſorum ſuorum gratias & ſummorum Pontificum bullas & indulta Viviano cœnobio conceſſa, quæ tranſcribi voluit, confirmans. Ex cujus autographo mihi ad manum, hæc depromo. [Cupientes quoque Monaſterium ipſum «
& ipſius Eccleſiam favoribus proſequi gratioſis, ut videlicet «
Chriſti fideles eò frequentiùs ac devotiùs ad ipſum conveniant

X ij

Digitized by Google

„ & accedant, quo ipſam Eccleſiam noverint ampliori gratiâ
„ ſanctitatis fuiſſe & eſſe perfuſam & etiam præmunitam: omnibus
„ verè pœnitentibus & confeſſis qui eamdem Eccleſiam in ſingulis
„ B. Petri Apoſtoli, SS. Saviniani & Potentiani & Altini, & per
„ octavas ipſarum feſtivitatum, necnon in anniverſario dedica-
„ tionis die ipſius Eccleſiæ, inſuper & in feſtivitatibus SS. In-
„ nocentium, B. Gregorii Papæ Doctoris glorioſi, & in ſingulis
„ diebus Lunæ & Veneris per totum anni circulum, in quibus
„ diebus populus chriſtianus in dicta Eccleſia conſuevit affluen-
„ tius accedere, devotè viſitaverint, aut manus porrexerint ad-
„ jutrices; de illius qui non venit juſtos, ſed peccatores ſalvos
„ facere, omnipotentis Dei miſericordia, & beatiſſimæ ſemper
„ Virginis Mariæ matris ſuæ, ac beatorum Petri & Pauli Apo-
„ ſtolorum, & beati Protomartyris Stephani patroni noſtri meritis
„ & interceſſione confiſi, quadraginta dies de injunctis ſibi pœ-
„ nitentiis miſericorditer relaxamus &c.] Obiit Gontherius an-
„ no ſequenti 1386. tàm Clementi VII. infenſus quàm Urbano VI. gratiſſimus, à quo beneficium conſecrationis & honorem pallii ſuſceperat.

89. GUIDO DE ROIA, natus Mureti Caſtro materno, patre Mathæo de Roïe loci Domino, matre Johanna de Cheriſi; ex qua nobiliſſima familia, Leonora de Roïe, quæ Ludovico Borbonio. 1. Principi Condæo nupſit. Primùm Eccleſiæ Senonenſis Archidiaconus fuit; tum Virdunenſis Antiſtes (à quibuſdam omiſſus) quo tempore iterum à ſummo Pontifice Urbano VI. repulſam paſſo Nicolao de Veres, iteratis Senonum votis ardentius cooptato, apud quos Archidiaconatus etiam officio functus fuerat poſt Petrum de Beaufort Cardinalem diaconum ſub titulo ſanctæ Mariæ novæ (qui poſtea Gregorius XI. Pontifex) ab eodem Urbano rebus ſuis conſulente, & potentiorum in Gallia favorem ambiente, Senonenſi præficitur Eccleſiæ, Decano quidem & Capitulo reclamante, ſed infauſtis conatibus quamdiu Schiſma Papale omnia permiſcuit. Hinc forſan occaſio nata Canonicis Senonenſibus Clementis partes tueri, & in illo rerum ambiguo, commodam ſibi quamvis nutantem rivalis Papæ auctoritatem nanciſci, ut à prælati quem intruſum rebantur, ſeſe ferulâ ſubducerent, ut accidit illo Clementino Diplomate anni 1389. Cal. Julii Avenione dato, quo Clerum Metropolitanum cunctos illius Eccleſiæ ordines complectentem ab Archiepiſcopi juriſdictione putant exemtum. Qui favor Pontificius cùm ambitioſè tùm ſump-

Digitized by Google

tuoſetunc dierum quæſitus parem pluribus aliis Eccleſiarum Capitulis gratiam indulſit; ſed quam hac ætate ad uſum canonicum reformari fecit Illuſtriſſ. Dominus de Gondrin & poſt eum plures alii Galliarum Antiſtites. In hujus nobiliſſimæ Sedis donativo ſtandum eſſe videbatur Pontifici, qui propenſo erat in Guidonem animo; ſed quâ pollebat apud Regem auctoritate & gratia Guido, delinitus Papa eum aliis honoribus & dignitatibus cumulavit, infulis ſcilicet Dolenſibus in Aremorica, Turonenſibus & Caſtrenſibus, & tandem Remenſibus anno 1390. ut non tam mirum ſit Pontificem Eccleſiæ patrimonium prodegiſſe, quàm Guidonem acceptaſſe: par tamen muneri gratus animus acceſſit. Cum enim jam ambigi videretur apud Carolum VI. de rixantium Pontificum ſorte ob Hiſpanorum ſtudia Clementi faventium; & indictus eſſet à Rege Lutetiæ Conventus prælatorum & procerum, utriuſque juri diſcutiendo; ne prævalerent vota Clementis, obſtitit Guido abſens à Conventu, viceque ſui delegavit qui ad futurum Concilium appellaret, ſi quid decerneretur Pontificis, cui ſtudebat, juri contrarium. Eruditorum ſui ſæculi Mœcenas munificus fuit. Literis etiam quas mira diſcendi & docendi facilitate plurimum coluit, celebri Teſtamento providit, uti Collegio Pariſiis à ſe fundato, quod Remenſe dicitur. Vana eſt Claudii Roberti recenſio in *Gallia Chriſtiana* qui cum Rothomagenſibus accenſet, nullo ſuæ fidei obſide aut tabulis coram exhibitis. Nec apud eos ullus ſedendi locus eſt inter Petrum de la Montre qui 1376. Guilielmum de Lettrange, qui 1388. & Guilielmum de Vienne qui 1406. obiere Rothomagenſis Eccleſiæ Præſules.

Iter ad Concilium Piſanum aggreſſus Guido, cùm apud Ligures prope Genuam conſediſſet, plebis ſævientis ob homicidium ab uno de ſuis perpetratum in privato jurgio, animos mitigaturus, jaculo per civem emiſſo confoſſus, ſtatim expiravit; cujus corpus ad urbem elatum in Metropolit. Templo magnificis exequiis tumulatur decima Junii 1409. Ampliſſimo teſtamento & iteratis codicillis ante novennium conſcriptis mille libras Turonenſes legavit Menſæ Archiepiſcopali Senonenſis totidemque Canonicis illius primatialis Eccleſiæ, adverſus quos etiam nullo litium conflictu decertaſſe ſibi gratulatur in iiſdem Codicillis.

90. GUILIELMUS DE DORMANS. Hujus inclita domus primis Galliarum Magiſtratibus clara, cujus domeſticum hoc lemma, *Cedant arma togæ*. Patrem enim habuit Guilielmum de Dormans, Franciæ Cancellarium, patruum Johannem Car-

profeſſor; Johannes Gouſſe Theſaurarius, Philippus Præcentor; Johannes Pellipari Cellerarius &c. Gravis orta diſſenſio inter Archiepiſcopum & Capitulum occaſione Bullæ ab Antipapa Clemente Canonicis conceſſæ (de qua ſuperius) in plures litium anfractus partes urgebat, non ferente Guilielmo ſibi jus ſubtrahi ſuæ dignitati coævum furtivis apud Pſeudopontificem ſolicitationibus: ſed communium amicorum interventu, & agente potiſſimum, nomine Capituli, præfato Decano, Bullæ rigor nonnihil emollitur, cui peſſum fuiſſet niſi tum dierum prævaluiſſent ſtudia Clementis. Tandem in ipſo Muſarum Parnaſſo, quibus dum viveret multum indulſerat, ſepeliri voluit Guilielmus in oratorio ſcilicet Gymnaſii Bellovacenſis apud Lutetiam die 2. Octob. anni 1405. prope Milonem germanum ſuum, Franciæ Cancellarium, trinoque Pontificatu plus æquo celebrem, Andegavenſium, Baïocenſium & Bellovacenſium. Litem habuerat cum Roberto De Laval Abbate S. Petri Vivi pro expenſis jucundi ſui adventus in eadem Cœnobitica Baſilica; quæ ſopita eſt de conſenſu partium tranſigentium die 26. Octob. anni 1395. ſic ut Archiepiſcopus in eodem Monaſterio ſuper ſepulchra Martyrum pernoctaturus, tum ibidem inſtallandus nihil præter 50. libras Turonenſes exigere poſſet & bovem paſcualem in vigilia Paſchæ ſi contingat eum Senonis præſentem eſſe in eodem feſto, nihil autem abſenti. Quod ratum habuit ſummus Pontifex, ut liquet ex originali in Tabulario Viviano.

Rebus in Gallia fœde turbatis ob ſchiſma Romanum, Carolus VI. ut chriſtianiſſimum Regem decet, primæ Sedi ſummè devotus, anno 1394. die feſto purificationis Deiparæ Virginis [ex cunctis oris Franciæ prælatos Eccleſiaſticos & de ſtudiis ſolemniores Doctores apicibus Regiis evocavit ut ſciretur qualiter horrendum ſchiſma ſopiretur &c.] Quos inter poſt duos Patriarchas Alexandrinum & Jeroſolymitanum, ac Lugdunenſem Præſulem primus recenſetur & interfuit Guilielmus de Dormans cum ſex ſuffraganeis ſuis. Adfuit etiam alteri Concilio Pariſienſi 21. Octobr. anni 1404. in quo quidam articuli pro Cluniacenſibus, Ciſtercienſibus, & aliis exemtis omnibus tam Regularibus quàm ſæcularibus tempore ſchiſmatis obſervandi, ſunt ſtatuti: pro quorum obſervatione Judices nominantur Abbates S. Germani à Pratis & S. Genovefæ; & Decani Eccleſiæ Pariſienſis & S. Germani Autiſſiodorenſis. Conſentit, ut Abbas S. Columbæ Senonenſis in quocumque diœceſis loco,

Digitized by Google

majorum, in cathedralem ſummo apparatu deportatus fuit.

Nec Eccleſiæ decori nec famæ ſuæ conſuluit militem profeſſus non Pontificem, injurioſam inſontis fratris necem armis ulturus, non juris beneficio, aut quâ valebat apud Regem auctoritate. Mutuis inter ſe fervebant odiis Dux Aurelianenſis, & Dux Burgundiæ & in Reipublicæ regimen, infirmo Rege, utriuſque vota collimabant. Sæviit in æmulum atroci facinore Burgundus, & conductis pretio ſiccariis Aurelianum Ducem Pariſiis interfecit. Stabant ab hujus partibus Montacutii fratres, quibus idcirco parem cum eo ſortem meditabatur Johannes Burgundiæ Dux: priorem enim repetundarum falsò poſtulatum capite plecti juſſit. Præſuli fratri itidem damnato fuga præſidium fuit: & quò ſecuriùs degeret aut ſæviret atrociùs in Burgundum, Aurelianenſibus copiis ſe cataphractum adjunxit: tandemque in prælio quod apud Azincurtium Gallorum exitio fuit, miſerè periit Octobris 25. anni 1415. cujus cadaver inter cæſorum aggeres repertum, & tumultuariis exequiis Senonis elatum in majori templo reconditur. Ambianum miſſus fuerat regius Orator & pacis ſequeſter Gallos inter & Anglos, ſed æmulis odiis cuncta ceſſêre.

Hæc porro memorat Tavellus pag. 127. [Cùm Burgundiæ « Dux Aurelianum Ducem & ſocios eccleſiaſticâ cenſurâ à Prælatis ſuæ factionis curaſſet perſtringendos; idem Johannes « (*Archiepiſcopus*) apud urbem Aureliam] exiſtens cum Epiſcopis Aurelianenſi, Carnotenſi & aliis Prælatis, causâ cognitâ adversùs Burgundum retorſit excommunicationis ſententiam, hancque pontificalibus veſtibus indutus promulgavit anno 1141.] Parem ſe geſſerat, ut vidimus, ejus deceſſor. Sed « eidem Tavello, Senonico licèt, excidit quod in archivis Eccleſiæ Senonenſis legitur, celeberrimos illius myſtas, quibus par ſemper & eximia in Eccleſiam & Regem fides fuit, ſuam apud poſteros religionem commendaſſe, cùm auctoritate propria & decreto Capituli exauctoratum voluêre Johannem Pontificem ſuum, jam non infulatum ſed galeatum, & ſæcularis militiæ cingulo præcinctum: ſtatim à ſe deſtituto, & faceſſere juſſo (*quaſi Sede vacante*) ejus Vicario generali & Officiali.

Anno Domini 1408. die 17. Aprilis Eccleſiam Cœnobii RR. PP. Cœleſtinorum Marcouciaci à germano ſuo, magno Franciæ magiſtro fundati & munificentiſſimè dotati, dedicavit, præſentibus Carolo Rege, Guilelmo Pariſienſi Epiſcopo

& pluribus aliis regni Proceribus. Cujus Johannis fundatoris poſt mortem ſuam decreto ſenatus Pariſ. innocentiæ ſuæ redivivi corpus è patibulo depoſitum magnifico funere tumulatur in eadem Cœleſtinorum Eccleſia cum hac lugubri epigraphe:

Non vetuit ſervata fides Regi patriæque,
Ne tandem injuſta traderer ipſe neci.

92 HENRICUS DE SAVOISI. Inſignis hæc olim domus, ſuoque ſtemmate clara in finibus Senonum, ſed cui cum dynaſtia de Signelay decus accrevit ex inclita Tornodorenſi, quam apex Sacerdotii & plurium in aula Regum Franciæ dignitatum apparatus commendavit. Fratrem habuit Petrum Bellovacenſem Antiſtitem, qui curiæ Juvaminum Pariſiis præſidebat. Eâdem nobili proſapiâ inclaruit Carolus de Savoiſi Franciæ Cambellanus, cui caſtri de Signelay (nunc marchionatus in gratiam ampliſſimæ domûs *de Colbert*) primordia debentur. Priuſquam Senonis præeſſet Henricus, Decanus erat Lingonenſis & Canonicus Senonenſis, acerrimus partium Burgundicarum propugnator, ideoque Regi Carolo exoſus, qui Johannem de Norri Conſiliarium ſuum, Eccleſiæ Cameracenſis Theſaurarium, & in eadem Senonum Metropoli Canonicum ad altare beatæ Mariæ, ejuſdem Eccleſiæ cathedram ambientem ei oppoſuit. Hinc utrinque ſuffragantium vota Regis & Ducis nomine anxiè quæſita, quibus medius accedens Papa Johannem Patriarcham Conſtantinopolitanum & Petrum Tivanenſem Epiſcop. nominavit, qui contendentibus jus dicerent. Johanni de Norri favêre Legati, quorum auctoritate ſedem adeptus munia geſſit epiſcopalia emiſſo priùs Pariſiis in camera Rationum fidei clientelaris ſacramento XI. Novembr. anni 1417. Non acquievit Henricus qui ad ſedem Apoſtolicam confugit, ubi cauſa diu diſcuſſa, jure potior & tempore confirmatur à Martino V. ſui pontificatûs anno primo, Chriſti 1418. 7. cal. Februarias. In hoc maximam integritati ſuæ famam conciliavit Martinus, nihil Regis nomini, nihil Delphini potentiæ, regni candidato, & penes quem tunc ſumma rerum, nihil Procerum ſolicitationibus, nihil tandem Legatorum ſuorum judicio, qui pro Johanne edixerant, detuliſſe, ut in Henrici cauſa juſtitia prævaleret: nec illud minimum in eo laudis argumentum iis dotibus inſtructum fuiſſe, quarum

Digitized by Google

intuitu tandem ſiluerit pars ſibi adverſa. In ſede ſtabilis, Eccleſiæ ſuæ propitium ſe præbuit, & prius ſtrenuum defenſorem adversus Quæſtores & ærarii publici adminiſtros, cui augendo, in eo rerum turbulentiſſimo ſtatu, Gallis & Anglis fœdè cuncta miſcentibus, Eccleſiaſticum penu devovebatur, in quod ne tota ſæviret Officialium fames, ipſe novis decimarum acceſſionibus colligendis inter alios præfectus, dum ex induſtria procraſtinat, quæſtum eluſit. Anglum Regem in ſe munificum continuis promeruit obſequiis, ſuadente Elizabetha Bavarica, quæ à Rege marito, & Delphino filio ad fœderatos Anglum & Burgundum defecerat. Ejus filiam Catharinam Trecis in æde S. Johannis matrimonio junxit cum Henrico V. Anglorum Rege anno 1420. ineunte Junio. Quem poſtea Senonas voti cauſâ ad ſepulchra Martyrum venientem honorificè excepit, primùm in Baſilica Viviana S. Petri, tum in alia etiam monachali ſanctæ Columbæ die ſexta menſis Octobris, in qua divina quædam fundavit officia, ut habet liber Obituum ejuſdem Abbatiæ. Graſſantibus Anglis in ejuſdem civitatis pomœriis, illud ſibi luctuoſum habuit Henricus cernere ſuburbana monaſteria (quæ Cleri numeroſiſſima portio) hoſtilibus flammis incendi. Nam pars anterior Baſilicæ Vivi turri quadratæ proxima, furente milite, conflagravit: tota periit Clericorum regularium Eccleſia S. Johanni ſacra cum cœnobio quod per 23. annos habitari non potuit: pari flammarum excidio ruit monaſterium B. Mariæ du Charnier congregationis Cluniacenſis; nec minor jactura de aliis urbi contiguis: quorum caſu quàm morbo oppreſſus Henricus Signelay, quò confugerat apud ſuos, interiit 3. idus Martii an. 1421. Quinque poſt dies in Eccleſia ſua aræ quidem majori vicinus, ſed citra condignum funeratur; donec noſtris diebus Canonici Senon. juſtis honoribus pio Præſuli parentantes tumbam vitæ ſinopſi inciſa apponi curarunt. Quamvis ſedis ſeptennium numeraret, non potuit tamen Senonis excipi ritu ſolemni & ſolitâ pompâ cum in Baſilica S. Petri Vivi, tum in Metropolitana, niſi anno 1420. in feſto S. Barnabæ; cujus jucundum adventum præſentiâ ſuâ dignati ſunt Rex Carolus, Henricus item Angliæ Rex, Duc Burgundiæ, cæterique Proceres, qui à Delphini partibus ſecedebant.

93. JOHANNES DE NANTON. Ex antiqua & nobili Burgundiæ ſtirpe oriundus, Monachum in cœnobio S.

Digitized by Google

Germani Autiſſiodorenſis profeſſus eſt; cujus & Abbas regularis fuit. Tantæ dignitati non impar, indignum eâ non putavit, ſi plures annos Pariſiis in Decretorum facultate doceret juris utriuſque Doctor; ut liquet ex literis ab Univerſitatis Rectore ſibi conceſſis anno 1415. Illo doctrinæ ſuffragio potens, & ſingulari morum probitate conſpicuus ſibi gradum fecit ad cathedram Senonenſem, poſtulante Duce Burgundiæ & annuentibus decem Canonicis, qui ſoli poſt urbem Anglis traditam remanſerant: quorum ſcrutinio & præmiſſo de tuendis Eccleſiæ ſuæ juribus & ſervandis quibuſdam aliis conditionibus ſibi propoſitis ſacramento, Pontifex renuntiatur, & à prima Sede confirmatur cum honore pallii menſe Junio anni 1428. Ut tunc turbulentus erat rerum ſtatus, non potuit ritus inſtallationis ejus ſolemnis in Eccleſia Viviana peragi, ſed in altera S. Petri de Arce (*du Donjon*) intra civitatis mœnia, ab illa dependente, in quam Monachi de Vivo conceſſerant, & ad quos inaugurationis hujus encænia ſpectant, quæ ibidem celebrarunt, illud ab eis requirente, nomine dicti Johannis de Nanton, Guilielmo Fuſée Vicario & Officiali Senonenſi; ut habetur in proceſſu verbali dictæ inſtallationis per Monachos factæ matutinis horis 21. Junii 1429. Anno ſequenti Lutetiæ in Collegio Bernaditarum Concilium habuit ſuis numeris abſolutum anno 12. Martini Papæ, cujus extant canones ſeu capitula 41. Interſuerunt Johannes de Tetigniaco Carnotenſis, Jacobus du Chaſtelier Pariſienſis, Johannes de Briou Meldenſis, & Johannes Leſguiſe Trecenſis Epiſcopi, Procuratores trium aliorum ſuffraganeorum, plures Abbates & Priores Conventuales aliique viri Eccleſiaſtici, ſæculares & Regulares, tam exemti quàm ordinariis ſubjecti, necnon *Suppoſiti venerabilis Univerſitatis Pariſienſis magno & notabili numero, &c.* In ea Synodo quæ Sanmarthanos latuit, non poterat Johannes Eccleſiæ decori & morum ſanctitati utiliùs conſulere, quam pari erga ſuos providentia inſignis illuſtriſſ. D. de Gondrin iterum publicam voluit, & Clericis ſuis familiarem.

Anglis tunc Senonas jure belli tenentibus gratiſſima fuerat ejus electio, ſed malignis apud eos ſuſurris appetitus, quod tandem Gallorum ſtudiis adhæreret; indeque gravia perpeſſus & diutinâ cuſtodiâ maceratus hæſit Juniaci ad Icaunam, qui Cluniacenſis Prioratus. Tum multo ære redemptus rediit Senonas. Verùm pacis ac libertatis otia vix amplexus, pridianis

Digitized by Google

ærumnis quàm annis gravior, Juniacum redux ut primarium Deiparæ Virginis Templum ſacraret, ibidem moritur 30. Junii anni 1432. & in medio choro ſub nobili cippo ſepelitur, hoc funebri carmine inſcripto:

Qui monumenta vides, cupiens cognoſcere cujus,
Siſte gradum, legito quæ brevis urna capit.
Nomina clara mihi ſunt de Nanthone Joannes,
Sanguine clarus eram, plus probitate potens.
Excelſâque fui Burgundus origine præſtans,
Canonici juris ipſe peritus eram.
Duxerat excelſos Senonis mihi clara triumphos
Almifici donans Præſulis officio.
Mille quater centum junctis triginta duobus
Des annos, ſortis ſic mihi meta fuit.
Junius atque diem ter denum volverat in ſe,
Cùm mea fila ſecat Atropos illa furens.
Putridus hic jaceo, mortalibus inde refundens
Horrida monſtra; feris vermibus eſca patens.
Hic me præcipiti ſerpſit mors turbida fato,
Et tulit in cineres, qui tamen ante potens.
Hæc quicumque, Deo, cernis perfunde precatus,
Ut mihi det celſi gaudia ſumma poli.

Scutum ejus aureum habemus cruce miniata impreſſum.

94. LUDOVICUS DE MELUN. Natalium ejus decus eximium, & majorum ceras ampliſſimæ domûs, regiis honoribus inſignis loquuntur alii; quibus recenſendis hîc ſuperſedendum ducimus nihil in ſchedis noſtris aſſecuti diverſum ab genealogica ſynopſi clariſſ. VV. à Sancta Martha. Henrici de Savoiſi Senonum Antiſtitis ex ſorore nepos, ejuſdem Eccleſiæ Archidiaconatu ab eo donatus fuerat, cedente Jacobo Borbonio regiæ ſtirpis Principe, qui Johannæ Siciliæ Reginæ nubebat. Non tota propendebat in eum Cleri primarii congregatio, ſed à Rege Carolo VII. commendatus ob præclaras animi dotes & nobilitatis inſigne, vicem etiam grati animi repenſuro quod in deploratis regni rebus ipſe ſuique ſibi ſtuduiſſent non ſine vitæ diſpendio, & rei familiaris jactura, ſuffragantium vota ei conciliantur. Ab Eccleſia S. Petri Vivi in primariam more majorum quæſitiſſima pompa deducitur 4. Jul. 1433. cui ſeſe gratum exhibens tredecim ſemipræbendarum

Digitized by Google

præſentationem, collationis jure ſibi reſervato, Capitulo conceſſit, eâ tamen lege ut ad eas promoverentur Clerici minores, quos de gremio vocant, & à puero choro miniſtrant. Anno 1460. Concilium ſuæ provinciæ Senonis celebravit præſentibus Milone Carnotenſi & ſuffraganeorum Decano, Guilielmo Pariſienſi, Johanne Meldenſi & Ludovico Trecenſi Epiſcopis: Stephano Plaiſance Domini Theobaldi Aurelianenſis Procuratore, &c. Cujus Synodi cap. 26. primævum Eccleſiæ vigorem ſpirantia confirmantur in alio Concilio Provinciali anni 1485. ſub Triſtando de Salazar immediato Ludovici ſucceſſ.

In Chronico Cotroniano pag. 860. hæc leguntur de capite S. Gregorii primi Papæ & Eccleſiæ Doctoris, quod in Baſilica S. Petri Vivi ab anno 876. religioſiùs aſſervatur. [Anno Do-
„ mini 1439. die penultimâ Novembr. D. Ludovicus de Melo-
„ duno Senoneſis Archiepiſcopus ſingulari motus devotione vi-
„ ſitavit capſam argenteam in qua reconditum erat caput glorioſi
„ Eccleſiæ Doctoris S. Gregorii Papæ, quod ibi reperit cum
„ iiſdem aliis Reliquiis & ſchedulis quæ olim inventæ ſunt à
„ Domino Guilielmo de Melun ejus prædeceſſore & conſangui-
„ neo ad annum 1328. præſentibus Guilielmo Quatrain S. Petri
„ Viui Abbate & ejus Monachis; ...... Quam capſam cum di-
„ ctis Reliquiis optimè clauſam & ſuo ſigillo munitam propter
„ quotidianos prædonum incurſus, ad ejuſdem Abbatis & Mo-
„ nachorum ſupplicationem idem D. Senonenſis Archiepiſcopus
„ honorificè deportari juſſit ad Eccleſiam S. Petri de Dongione,
„ quæ eſt de patronatu S. Petri Vivi. Ubi die 27. Februarii ſe-
„ quentis anni, die dominicâ quâ miſſa incipit *Oculi*, idem RR.
„ Præſul ad populi poſtulationem prædictum S. Gregorii caput
„ inviſit & palam oſtendit, &c. [In hujuſmodi ſanctorum pigno-
„ rum viſitationibus frequens erat Ludovicus, quarum originales tabulæ mihi non exciderunt. Quas inter obviæ ſunt illa de SS. Potentiani & Altini tranſlatione in novum reclinatorium argenteum in eadem Baſilica *Vivi* anno 1449. Octob. 28. Alia ibidem ac etiam Naudi, de capſa SS. Sanctiani & Beatæ ſororis ejus, anno eodem 19. Sept. Alia item in eodem S. Petri cœnobio SS. Leonis, Ambroſii Senon. Præſulum, & S. Auguſtini Martyris die 30. Julii anni 1450. Alia SS. Fortis, Guinefortis & Avelinæ in ſuburbana S. Mauritii inſulari Eccleſia, die 26. Febr. 1455. &c. Alia capitis S. Romani anno 1446. Hic Ludovicus qui in omnibus actis illis & aliis authenticis

Digitized by Google

inſtrumentis ſe ſemper inſcribit Galliarum & Germaniæ Primatem, non leve tamen vulnus inflixit Eccleſiæ ſuæ, cùm primatûs ſui, qui, ut monet Tavellus, *huc uſque apud Senonenſem Metropolim reſederat*, legitimos honores non defendit in Senatu Pariſienſi adversùs Carolum Borbonium Lugdunenſem Archiepiſcopum, cui regius ſanguis animos dederat, nec minùs acuerat ira in Ludovicum concepta ob præreptum ſibi Senonenſ. Archidiaconatum, ut ei litem de primatu moveret. Injurioſam ſibi putavit Senatus Ludovici declinantis abſentiam, quam ei forſan æmuli potentia, non juris invaletudo ſuaſerat, & lex forenſis poſtulabat ut reo, tandiu contumace, actori vindicias temporarias adjudicaret. Specioſum hoc ſuæ cauſæ ſubſidium pluribus ampliavit clariſſimus & doctiſſimus vir Bedianus Morange Doctor Pariſinus & Socius Sorbonicus, ſpeciali libello in favorem Lugdunenſis Eccleſiæ; cujus momenta arte quæſita, & quâ potuit rhetorices ope concinna quàm levia ſint ex iis quæ jam ſupra delibavimus, facilè Lector advertet; noſque aliquando, cùm opportunior ſe ſe occaſio dederit, fuſiùs demonſtrabimus. Interim non tacendum quod in Chronico Ms. referunt Buretel. & Coquinus in hunc modum:
[Ludovicus de Meleduno, nepos Henrici Savoiſi prædicti, « à Clericis Canonicis, ad quos electio pertinebat, eligitur an- « no 1432. vir nobilis, mitis, pacificus, & largus in pauperes: divi- « narum literarum amator ferventiſſimus, adeò ut de rebus « temporalibus nihil vel parum cauſaretur. Cujus rei causâ Ca- « rolus de Borbonio Archiepiſc. Lugdunenſ. vir aſtutus & cautus, « de ſanguine Regum Francorum procreatus, hæc animadver- « tens, de Primatu Franciæ ſtatim querimoniam fecit; prædi- « ctumque Ludovicum ad Curiam Parlamenti Pariſienſis jus au- « diturum traxit. Qui cum eſſet vir mitis ingenio, quietus & pa- « cis ſectator, ad diem præfixum ſe abſtraxit, nec perſonaliter, « ut ei injunctum fuerat, comparuit. Quâ de re Curia Parla- « menti negligentiam viri parvipendens, eum dicit contumacem, « & defectum contra eum prædicto Carolo dedit, poſſeſſionem- « que Primatus fecit ex defectu prædicti Ludovici, uſque ad « ſententiam diffinitivam.] Cui pro ſe obtinendæ, ne præſcriptio « & lapſus temporis noceat, cavent Senonenſes. Gravi ſenio confectus Ludovicus nec jam Pontificalibus muniis aptus, ut qui videre non poſſet, ultrò ſe abdicavit onere ſimul & honore anno 1474. ſed aventi nepotem ſuum æquivocum & Seno-

Digitized by Google

nenſem Archidiaconum ſubſtitui ſibi, non indulſit Ludovicus XI. Rex, in Triſtandum ſucceſſorem propenſior tum Epiſcopum Meldenſem; quo ſedi primatiali Senonum Præfecto, idem Ludovicus nepos Meldis inſtallatur Rege favente, & Clero nominante eodem anno, quo & obiit noſter Ludovicus 9. Septemb. propè majus altare primarii Templi ſepultus ſub marmore peritiſſime ſculpto, cujus epitaphium produnt Sanmarthani.

Eo ſedente Guichardus de Bierne Abbas S. Columbæ Senonenſis, Miſſam in Pontificalibus cum mitra & baculo celebravit in majori altari Eccleſiæ S. Stephani die Invent. ejudem ſanctiſſ. Protomartyris rogatu Decani & Capituli; quod teſtatum voluere dicti Domini Capitulantes in inſtrumento anni 1478. poſt Paſcha die 28. Martii, ſignato Odat cum parapho. In quo actu recolunt ſe dictæ Miſſæ ſolemni interfuiſſe. Conceſſus fuit actus ille Johanni Bulton itidem Abbati S. Columbæ, qui eodem anno pari ſolemnitate celebravit, ibidem occaſione Capituli generalis Fratrum Prædicatorum, & conſentientibus Decano & Canonicis. Ex originali nepos ejus Ludov. de Meloduno Abbas erat S. Columbæ, qui feretrum argenteum, uti nunc cernitur, quo S. Lupi corpus tegitur, ſuis ſumptibus cudi curavit anno 1509. & tertiam bonorum ſuorum partem Eccleſiæ dedit. Chron. MS. Cotronii.

95. TRISTANDUS DE SALAZAR. Genealogiam ejus graphicè delineatam habent clariſſ. Fratres gemelli: cujus etiam inclitæ domus decora celebrant Jodocus Badius Aſcenſius, & Petrus Roſſetus in epidictico carmine eidem Metropolitæ nuncupato. Advertit auctor Chronici Remigiani natum eum in oppido S. Mauricii de Thiroaille in valle d'Aillant tractui Vaſtinenſi contigua anno 1431. & pluribus Abbatiis irretitum, S. Columbæ, S. Remigii ad muros Senonenſes, ſancti Johannis propè burgum S. Petri Vivi, S. Petri de Calamis &c. quarum ſecundam quæ Guilielmo Lordelat ſuffragio Monachorum obtigerat, toto ſeptennio per litium anfractus ſibi procuravit. Vix integrum annum Meldenſis Antiſtes, fit Senonenſis, agente Rege Ludovico XI. cui gratiſſimus fuit, & 10. Sept. anni 1474. è Cœnobio S. Petri Vivi in S. Stephani Baſilicam deducitur, primùm à Monachis ad limen uſque ſui Templi; tum à Baronibus & Vaſſallis, quibus bajulationis honor & onus incumbit uſque ad valvas Metropolitani. Tribus Fran-

Francorum Regibus acceptiſſimus fuit, quorum legationibus in rebus arduis ſtrenuè functus inclitam ſibi formam apud omnes promeruit. Nec gloriæ militaris, cui comparandæ præiverat ſibi deceſſor ſuus Johannes Montacutius, aſpernator fuit, cum Ludovicum Regem comitatus in expeditione Genuenſi eques cataphractus tela vibravit in hoſtes valida manu, nec vanis ictibus. Unicum quod ibidem ſpolium ambivit pes dexter fuit glorioſi Protomartyris Stephani ſuæ ſedis patroni, qui Senonis ſummo plauſu & regiâ pompâ exceptus fuit anno 1507. Huic Gallia debet quod primus Helvetios, fidam Principibus gentem, ei jurato fœdere junxit anno 1480. Quinque ab hinc annis Provinciale Concilium habuit die 23. Junii & ſequentibus, præſentibus Agilone Carnotenſi, Johanne Autiſſiodorenſi, Petro Nivernenſi, Johanne Meldenſi & Jacobo Trecenſi ſuffraganeis ſuis, & Vicario Franciſci Aurelianenſis Epiſcopi: ſolo Ludovico Pariſienſi contumaciter abſente. In quo Conſtitutiones Ludovici de Melun innovantur, nonnulla immutantur, pauca adduntur. Cujus utriuſque Concilii autographa mihi ab illuſtriſſ. D. Lud. Henrico de Gondrin pridem Archiepiſcopo Senonenſi perhumanè conceſſa, Lutetiam tranſmiſi ad eruditum virum D. Lucam Dacherium, qui ea juris publici fecit tomo 5. Spicilegii ſui: & ex eo Philippus Labbe ſociet. Jeſu doctiſſimus Theologus, tomo 13. editionis ſuæ Concil. generalium pag. 1721. & ſeqq. Concilii hujus ſub Triſtando celebrati teſtes ſynodales eliguntur, pro Diœceſi Senonenſi Abbas S. Petri Vivi & Decani chriſtianitatum Pruvinenſis, & Muſteralis (*Montereau.*) In æde S. Dionyſii Benedictina funeri præeſt Annæ Britannicæ Francorum Reginæ 1513. & anno ſequenti, Ludovici XII. ejus mariti. Diu forenſibus jurgiis egit adverſus ſuos Myſtas Senonenſes, cui tamen non ſemper impunè fuit illa contentio; qua tandem ſopitâ, vix inter anteceſſores unum reperias qui generoſiùs aut munificentiùs illos amaverit. Auro, reditibus & latifundiis, varia vaſorum ſuppellectile in miniſterium altaris; ædificiis (inter quæ domus Archiepiſcopalis Lutetiæ) choralibus ornamentis, tapetibus & auleis abſidem & ſtallos cingentibus: mirabili item altaris illius & cenotaphii marmorei ſtructura, quæ ceteris ſupereminet artis miraculis, quibus tumet Baſilica major, ſic ſibi devinxit cœtum illum primatialem, ut grati animi vices repenſurus, ſolemnia precum pro beneficentiſſimo paſtore & nobili Sala-

Digitized by Google

ſariorum familia nuſquàm finienda ſtatuerit. Nec minor in Monaſteria quæ ſibi affatim obtigerant, providentia fuit. Cujus præclara monumenta, unaquæque domus ſuis faſtis adſcripſit, maximè Columbina & Remigiana: cui priori ſpeciales gratias obtinuit à Franciſco primo ad regni clavum jam jam accito, ut in ampliſſimo diplomate anni 1514. die primâ Octobris: alteri verò dominium de Scabiis (*des Sieges*,) & 50 libras annui & perpetui redditûs legavit.

Ejus obitum ſic notatum habes in recenti Chronico MS. Petri Coquin, ſeu potiùs Petri Bureteau Cæleſtini Senonenſis ad an. » 1518. [Triſtandus Senonas veniens, infirmitate correptus die » veneris undecimo menſis Februarii inter primam & ſecundam » horam pomerid. in domo ſua Archiepiſcopali diem clauſit ex- » tremum: qui eodem die à Chirurgis Senonenſibus eviſceratus » fuit, & ejus inteſtina in Capella ſancti Laurentii ſepulta ſunt. » Poſt tertium diem ejus corpus in majori Eccleſia retrò majus al- » tare ſub ſepulchro ex marmore nigro, opere polito, quod vi- » vens conſtruxerat, die Martis eſt ſepultum cum funeris pompa, » conlacrymantibus quamplurimis nobilibus & ignobilibus utriuſ- » que ſexus. Cor verò ejus in capſa parvula plumbea poſitum in » Eccleſia Religioſorum de Marcheray Ordinis Grandimontenſis, » cum patre ſuo tranſlatum ac ſepultum eſt..... In medio navis » Eccleſiæ altare marmoreum conſtruxit, ante cujus conſpectum » imagines progenitorum ſuorum ex marmore albo ſupra aliud mar- » moreum ædificium miro opere conſtructum quatuor columnis » marmoreis fultum elevatæ ſunt.]

Eodem anno quo Meldis Senonas Pontifex advenit, Ludovicum de Meloduno S. Columbæ Senonenſis Abbatem, & Eccleſiæ majoris Archidiaconum, ejus loco eidem Meldenſi Sedi ſuffectum, die quarta menſis Aprilis ante Paſcha Senonis conſecravit. Non ſolùm matri & patri magnificis exequiis parentavit, ſed fratribus etiam armorum gloriâ conſpicuiis & præmaturo funere ſublatis juſta perſolvit. Mater anno 1457. Dominica ante Nativitatem Domini in caſtro S. Juſti in campania gravis annis & meritis extincta eſt; cujus cippus hoc carmine inſcribitur:

Caſta Salazarii Trimolia Margaris uxor
Humanis rapido funere rapta plagis.
Fœlix prole tua, ſanctoque integra pudore
Cernitur hic requies corporis alta tui.

Digitized by Google

Pater Trecis obiit decima Novembris anno 1479. In æde Grandimontenſium de Marcherai ejuſdem Diœceſis primùm ſepultus cum his ſepulchralibus notis.

Ipſe Salazarius de ſanguine ductus Ibero
Fulmine Johannes Mortis acerba tuli.
Magnus eques, dux conſilii, dux inclitus aulæ,
Gallica Rex fidei tradidit arma meæ.
Sequanidas pepuli, & Regem in ſua ſceptra remiſi
Gallorum, & fines hoſtibus eripui.
Indomitus vixi, ſed me mors aſpera vicit.
Spiritus aſtra tenet, marmora corpus habent.

Hector de Salazar, frater Triſtandi obiit in caſtro S. Juſti in campania ſuper fluvium Sequanæ die ultima menſis Aprilis poſt Paſcha anno 1502. & 1512. ſeptimo cal. Januarias pariter deceſſit magiſter Claudius de Lacu nepos ex ſorore præfati Archiepiſcopi, & Archidiaconus Melodunenſis, ſepultus in navi majoris Eccleſiæ ad ſuppedaneum altaris marmorei ab ejus avunculo conſtructi. Et anno 1515. in profeſto Apoſtol. Petri & Pauli rebus etiam humanis ereptus eſt alter frater Lancelotus de Salazar, Dominus de Marcillac ſuper Sequanam ibidem ſepultus. Quibus domeſticis cladibus & ærumnis pene conſumptus Triſtandus non diu ſupervixit. Ut literatorum ſtudioſiſſimus fuit & muſas impensè coluit, omnes habuit ſibi parentantes. Primus funeris anteceſſor fuit Johannes Salazarius ejus nepos, Archidiaconus Senonenſis, & in patrui Beneficiis Abbatialibus, & aliis dignitatibus Eccleſiaſticis hæres ex aſſe, ſi Sedem excipias Senonenſem, cui Canonicorum ſuffragiis devotus, Rege tamen Franciſco non conſentiente & Poncherium præferente eam obtinere non potuit. Hic primus lugubre carmen Triſtando poſuit; poſt quem inter præcipuos Jacobus Mulat & Jacobus Girardin, qui multiplici metro proſaque piis manibus litavêre.

96. STEPHANUS PONCHER, nobilis Turonenſis, in quo virtus, ſapientia & ſingularis eruditio, quâ potiſſimum enituit in jure canonico & civili, familiæ ſuæ decus plurimum commendarunt. Ejus præ ceteris animi dotibus facundiam & miram in dicendo ſuavitatem prædicant Itali; quem ideo ſibi comitem adſcivit in expeditione Mediolanenſi & Regium Oratorem Franciſcus primus, cui literarum apice inſignes mirè place-

Digitized by Google

bant. Pariſienſis Præſul ſub Ludovico X I I. & ab eo Toparchiæ Mediolanenſis Cancellarius electus, tum Ordinis S. Michaëlis inſignibus donatus, & regiis Franciæ ſigillis Præfectus; poſt varias ad diverſos Principes Legationes, quibus laudatiſſimè functus, in gloriæ & debitæ remunerationis cumulum Eccleſiæ Primatialis Senonenſis ſolium conſcendere cogitur anno 1518. in reditu ſuæ ad Carolum V. Imperatorem Legationis. Cujus honoribus ampliſſimo diplomate ſubſcripſit Leo X. eoſque indulto pallii cumulavit anno 1519. quo jucundum in urbem ſuam adventum, ſuâ præſentiâ proſecuti ſunt die Dominicâ ultimâ Julii Michael Boudet Lingonenſis, Ludovicus Guillard Tornacenſis, & Franciſcus de Poncher, ejus germanus Pariſienſis, Epiſcopi, quos omnes ſummo apparatu excepit Joannes Bardeau Abbas S. Petri Vivi, ubi pro more prima Præſulis inſtallandi encænia celebrantur. Quo item anno, præſtito fidelitatis hominio Regi Franciſco primo (non Ludovico X I I. apud Sammarthanos, qui ineunte Januario anni 1515. Pariſiis obierat) par ſibi fidei clientelaris obſequium præſtari voluit poſt bajulationem in cathedra, à Baronibus & vaſſallis Eccleſiæ ſuæ Senonenſis, ut expreſſè notant ſchedæ Vivianæ. Nec faſtui ſed Eccleſiæ decori, cujus ſtudioſiſſimus fuit, tribuendum quod in priori ſua apud Lutetiam inauguratione pari pompa ſuſcipi voluit & ſubvehi à Baronibus Montmorencii, Luſarchiarum, de Capreſia, Marciaci, Montiſgaii & Caudæ. Ei Leo X. curam dederat proceſſus inquiſitionis de vita, moribus & miraculis pro canonizatione ſancti Franciſci de Paula, duobus aliis Præſulibus ſibi adjunctis ad quos affatim tanti viri merita convolarunt. Eo non perfunctoriè ſolicitante, Facultas Theologiæ Pariſienſis ſolemni decreto damnavit errores Lutheri 15. Aprilis 1521. Philippus Labbe notat in hiſtorica ſynopſi Conciliorum pag. 259. Stephanum Poncherium tùm Pariſienſem Epiſcopum ſtatuta ſynodalia edidiſſe anno 1514. & decem poſt annis Senonis ſedentem alia ſuæ Provinciæ profutura promulgaſſe, ad quæ facilis recurſus. Quæ mentem ejus non ita rebus humanis dedititiam produnt, ut quidam voluêre; quamvis in plurimis regni negotiis & legationibus quibus frequens incubuit, ad utilitatem Eccleſiarum & Cleri decora ſemper collimarit. Quibus obeundis immoritur Lugduni ſexto Calendas Martii anno R. S. 1524. ætatis 78. cujus corpus longiori pompâ Senonas delatum ante Pontificale ſolium inhumatur ſub tumba vitæ ſynopſin exhibente. Domum Archiepiſco-

Digitized by Google

palem majori Baſilicæ proximam conſtruere cœperat ſuperbo ſchemate, quam Ludovicus Borbonius ejus poſt Pratæum ſucceſſor perfecit.

97. ANTONIUS DU PRAT. Si Scriptoribus integri nominis ſit danda fides ut Sanjuliano Cabillonenſi Decano in antiquitatibus ejuſdem urbis, & Tavello Cauſidico Senonenſi; inter Franciæ mira, nec tamen inſolita, referri poteſt virum obſcuræ ſortis, nec ipſi penè naturæ notum, ad tantum gloriæ faſtigium evehi potuiſſe; ut ſive ſpectes mundanas dignitates & ſæculi pompam, ſive primaria Cleri (excepto ſupremi Pontificatus apice, cui tamen benevolentia Regis viciniſſimus fuit) nihil ſuprà ſe viderit. Hunc apud Iſſiodiorum in Avernis natum ferunt ne totus inopiâ premeretur, aquam benedictam ſingulis Dominicis oſtiatim per domos civitatis circumtuliſſe ſtipi colligendæ qua victitaret. Verùm non diu ſtetit injuria, nec jacere potuit quem ad ſublimia inſitus à natura genius evocabat. Vividæ mentis indoles, literarum amor, & labor improbus ſui mœcenates fuerunt, quorum ope miro progreſſu ſibi gradum fecit ad maxima. Primùm enim in literis egregiè verſatus, & publicos in eis honores adeptus, forenſibus negotiis præficitur, libellorum ſupplicum Magiſter, tum Primarius in Senatu Pariſienſi Præſes inſulatus nominatione Ludovici XII. anno 1507. Nec ibi ſtetit gratia Principis nec meritiſſimo Præſidi ſupremum juſtitiæ decus defuit, quòd Gallorum opinione in Cancellarii muneris adminiſtratione ſemper reſedit. Major adhuc ei gloriæ titulus acceſſit, Rege detento & Madritum abducto, qui ne tota ſub negotiorum Regni pondere premeretur mater ejus Aloïſia Sabauda, primum ei curarum conſortem adjunxit Antonium, verum Galliæ Tutelarem & Reipublicæ adminiſtrum. Uxorem duxerat Franciſcam de Veni d'Arbouze, quæ nobilis apud Arvernos familia plures virtutis & gloriæ propagines dedit, quas inter vir inclitus Jacobus de Veni d'Arbouze Abbas Cluniacenſis & totius Ordinis Generalis, qui me Cluniaci Monachum induit 22. Novembris anni 1628. & ejus neptis B. Margareta d'Arbouze prima Vallis-gratiarum apud Lutetiam Abbatiſſa, quæ multis Spiritus-ſancti chariſmatibus & beato fine locuples, ſuæ ſanctitatis deſigna poſuiſſe videtur. Ex quo cum Franciſca connubio prodière germani fratres Antonius Pratæus urbis Pariſienſis Præfectura donatus; & Guilielmus Claromontanus Epiſcopus, qui in Tridentina Synodo pluribus inclaruit, & dum in cauſa reſidentiæ

Digitized by Google

Epiſcoporum fervērent ſtudia conſeſſus, doctiſſimè peroravit; ita ut nemo meliùs ſex à ſe propoſitis mediis primam Eccleſiæ puritatem reſtituendam curaverit. Conjuge defunctâ, quæ apud Minimos Nigeonenſes propè Pariſios jacet, fit Pontifex Albienſis, & Meldenſis; & poſt mortem Poncherii, nominatur à Franciſco Rege Senonenſis Archiepiſcopus, invito Capitulo, Johannem Salazarium præferente. Hic ab honoribus ſæculi, quos tamen non amiſit, tranſiit ad decora & opima Cleri, Rege jugiter indulgente, nec minus favente ſummo Pontifice, quibus gratum & commodum erat Miniſtrum potentem rerum in Gallia, Regiis & Pontificalibus gratiis ſibi demereri; quas vir induſtrius, quaſi grati animi vices repenſurus majori fœnore refundebat in auctores. Illo agente, prodierunt Concordata Leonem inter ſummum Pontificem & Franciſcum Regem, nec multo poſt eum Papa Cardinalium purpurâ decoravit.

Hæreticis noviter in Galliam irrepentibus, & ipſis etiam indigenis acerrimum bellum indixit, quâ Regius Miniſter, & quâ Pontifex egregius. Ut penè ſuprema valebat apud Regem auctoritate, ei ſua jam ſponte Eccleſiæ propitio animos addidit, ut ſerpens novitatis virus evelleret. Tum celeberrimum illud Pariſienſe Concilium (aliàs *Senonenſe*) celebravit à die tertiâ Februarii anni 1527. more veteri Gallico (inquit Labbeus in collectione generali Conciliorum pag. 431. tomi XIV.) ad diem 9. Octobris 1528. hoc eſt menſibus octo & 7. diebus abſolutum (non 20. Febr. 1628. ut apud Fratres à S. Martha.) „ [Adverſus Lutheri ſimiliumque hæreticorum impia dogmata, ac pro reformatione Eccleſiæ. Poſt præfationem curioſis Lectoribus ſæpius evolvendam, in qua Novatorum ſchiſmaticorum atque hæreticorum mores graphicè depinguntur, ſequitur generale decretum continens hæreſeon tum pullulantium ſpecies & deteſtationem; modum judicandi ac diſcernendi hæreticos ac relapſos; formam & ordinem procedendi contra eoſdem, acerbas etiam eorumdem pœnas; ac demum exhortationem ad Principes Poteſtateſque ſæculares de illis profligandis & exterminandis. *Item*, decreta Fidei numero ſexdecim cum annotationibus aliquot errorum jam olim damnatorum & repullulantium. *Tandem*, conſtitutionem ſeu decreta morum numero quadraginta cum poſtrema concluſione.] Hæc Labbeana ſynopſis hujus Concilii, quam præter morem hùc referendam duximus in gratiam hujus Pontificis, ut ſpeciale

Digitized by Google

paſtoralis ejus ſolicitudinis monimentum. Quidquid clari nominis apud ſuos & exteras nationes ab inſitis dotibus & externo ſplendore comparaverat ſibi, hujus Concilii fama cumulavit; nec gratiæ defuit Roma jam in eum toties effuſa; novo donativo ſtrenuum ſibi athletam remunerata, cum ei Legati à latere infulas primæque Sedis per Galliam vices copiosè largitur Julii 4. 1529. Vergente ad finem anno ſequenti hujus novæ dignitatis auctus inſignibus, ſummo plauſu nec minori pompa Pariſiis excipitur; tùm apud S. Dionyſium inaugurationi Eleonoræ Auſtriacæ præeſt, quam viduus Rex Franciſcus duxerat. Illud tamen poſterorum mirabitur ætas, virum in Gallia ſecundum à Rege, tanta potentia clarum & vel ſolo nomine formidandum non potuiſſe tamen æmulum ſuæ Sedis Johannem Salazarium ad deditionem cogere, & pacificum in Eccleſiam ſuam ingreſſum ſibi parare, in qua nuſquam ſedit niſi tumulatus, poſtquam obiit nona Julii 1535. in caſtro domeſtico de Nantouillet. Sibi poſt mortem providit ingenti ære Canonicis legato pro quotidiano Miſſæ ſacrificio 10. Julii celebrando Mauſolæum marmoreum habet ad lævam altaris S. Petri, pro quo ſive ſtatuas, ſive anaglypha ſpectes, tota luſit artis induſtria, & Antonii filii, Prætoris Pariſienſis in amantiſſimum parentem pietas. Inſcriptum Cippo vitæ breviarium exhibent cum aliis præſtantiſſimi viri monimentis clariſſimi fratres gemelli.

98. LUDOVICUS DE BOURBON. Natalium decus præfert ipſum nomen. Cætera vitæ nec melius nec uberiùs quàm apud Sanmarthanos expendi poſſunt, quibus celebrandis, pro reverentiâ lectorum ſuperſedemus. At illud forſan miraberis, quod is, ſtante ſacroſancto Concilio Tridentino, tot auxtus fuerit Eccleſiaſticis dignitatibus. Fuit enim Abbas Compendienſis, Meldenſis, S. Amandi, B. Mariæ de Columbis, Ferrarienſis, S. Sergii apud Andegavos, & S. Dionyſii prope Lutetiám, cujus Sedem adiit in profeſto SS. corporis Chriſti anno 1529. Nec prope minor epiſcopatuum numerus: fuit quippè Epiſcopus Laudunenſis, Lucionenſis, Cenomanenſis, Trecorenſis, & tandem Primas Senonenſis. Inter purpuratos etiam Patres aſſumptus 2. Julii 1517. à Leone decimo ſub titulo ſancti Silveſtri in campo Martio (cujus inſignia ſumſit in æde ſancti Vincentii Laudunenſis, præſentibus germanis ſuis Carolo Borbonio noviter Duce Vindoci-

Digitized by Google

nenſi, & Franciſco Comite S. Pauli; & Claudio à Lotharingia primo Duce Guiſiæ ſororis ejus marito, & pluribus aliis Cleri regnique Proceribus) quo item relicto, ad alium ſub nuncupatione S. Sabinæ, & ad Sedem Præneſtinam, quæ inter primarias Latii recenſetur, per Clementem VII. evehitur.

Ægrè tulit Ludovicus Borbonius ſibi ſepulturam non concedi in choro Sandionyſiano; jure natalium debitam ſibi cauſſatus, ſed citra ullum præcedentium exemplum. Hinc ſupremis tabulis in Laudunenſi ſepeliri voluit: cor autem & inteſtina ad extimam chori S. Dionyſii partem, ſed extra cancellos recondi mandavit ſubtus columnam ex jaſpide, Ludovici XII. mauſoleo vicinam, in cujus apice viſitur ejus effigies Cardinalitiis inſignibus ornata, proſpectum habens in chorum, cujus ingreſſus ſuis cineribus fuerat denegatus. Lutetiæ (*non Lauduni*) die Veneris decima-tertiâ Martii (*non undecimâ*) obiit in palatio Borbonio à ſe conſtructo; nævus enim chronologicus eſt apud Sanmarthanos non advertentes anno 1556. qui biſſextilis fuit & Ludovico lethalis, litteram D. fuiſſe dominicalem menſe Martio, diem undecimam Mercurio, & decimam tertiam feriæ VI. conſignantem. At conſentiunt omnes & notant obitum Ludovici die Veneris accidiſſe anno ſuæ ætatis 63. ut qui prodierat anno 1493. die 2. Januar. Nobiliſſimum reclinatorium ex argento & auro, variaque lapillorum ingentis pretii ſupellectile grave recondendis ſacris *oſſibus B.* Ludovici Francorum Regis ſuis ſumtibus, uti nunc cernitur, cudi fecit cum imagine ſua in antica parte, ore devotum hoc lemma proferente: *Ora pro me, pater Ludovice, & pro benefactore meo Franciſco hujus nominis primo.* Ad cujus Regis nominationem præter alia ſummæ liberalitatis monimenta, Abbatiam ſancti Dionyſii primus in commendam acceperat poſt Abbates Regulares, excluſo, qui à Monachis electus erat, Johanne Olivario, & ad ſedem Andegav. aſſumto. Fuit etiam Abbas S. Petri Vivi. Auctor eſt & munificus proviſor ſolemnis illius ſupplicationis, quæ fit ſingulis annis in majori templo Senonenſi, in aurora diei dominicæ Reſurrectionis. Ut ad eum confluebant majora regni negotia, quibus pene quotidianis premebatur; ne abſens gregi noceret, Andream Richer Epiſcopum Calcedonenſem vice ſui ſubrogavit cum facultate pontificalia per totam diœceſim exercendi, ex indulgentia Pauli III. Bullâ ſpeciali anni 1541. 5. cal. Januar. quam autographam penes me habeo.

99.

Digitized by Google

99. JOHANNES BERTRAND Tholoſanus, primis in patrio Senatu honoribus auctus, & in Pariſienſi ſupremæ dignitatis infulis decoratus, Franciſco I. & Henrico II. gratiſſimus fuit. Regii ſigilli cuſtos, tum regni Cancellarius deſignatur 1551. Mox Convenarum Antiſtes; & Senonenſis Pontifex ab Henrico II. nominatur anno 1557. Sedem ſuam nuſquam inviſit, ad gerenda regni negotia jugiter evocatus: ſed adipiſcendæ poſſeſſionis curam procuratorio nomine ſuſcepit Jacobus Spifame Abbas S. Pauli Senonenſis & Epiſcopus ſuffraganeus Nivernenſis, quâ ſolemni ritu defunctus octavâ Septembris ejuſdem anni. Sibi devotiſſimum habuit Ducem Guiſium, qui tum apud Regem auctoritate valebat; nec minùs Romæ, quam regiis armis tuebatur adversùs Hiſpanum: cujus apud Henricum II. & Paulum IV. ſingulari commendatione ad Cardinalatûs apicem evehitur anno 1557. die 14. Martii. Legatus etiam in Germaniam, & in Sabaudia Regis nomine Gubernator, & in cauſa Cardinalis Caraffæ (qui laqueo deſiit 6. Martii 1560.) pontificio Brevi Judex delegatus, viri pene ad miraculum eximii famam ſibi conciliavit apud omnes. A Conclavi pro electione Pii IV. rediens, Venetiis ſenio morboque confectus occubuit pridie Nonas Decembris anno 1560. ibi ſepultus apud Auguſtinianos. Ad ejus, & Lugdunenſis & Pariſienſis Antiſtitum tribunal appellaverat in cauſa fidei de hæreſi ſuſpectus Annas du Bourg Senator Pariſienſis, à quibus convictus, forenſi tandem judicio, laqueo & flammis punitur 20. Novemb. ejuſdem anni.

100. LUDOVICUS DE LORRAINE. Tanti nominis Principem vix attingo poſt clariſſ. Sanmarthanos. Quamuis familiæ ſuæ ſplendore multus inclaruerit, nemini dubium virtutibus ſuis & cæteris animi dotibus generis claritatem ſuperaſſe. In ornando meritiſſimo Præſule nec ſegnes fuere ſummi Pontifices Julius III. & Paulus IV nec jejunè providit amavitque Henricus III. Primus eum inter Purpuratos Patres allegit: alter titulum conceſſit quem *S. Nicolai in carcere Tulliano* deſignat Tavellus: tertius ſua ſponte munificus, & in Guiſiam domum mirè propenſus, ſed in Eccleſiæ decus & utilitatem magis effuſus, cujus commodis incumbebat totis viribus Ludovicus, plures ei Epiſcopatus indulſit Trecenſem, Albienſem, & Senonenſem, pro cujus temporali dominio fidem clientis Regi juravit 20. Septembris 1561. Ludovico ne-

Digitized by Google

pote ſuo, nondum Archiepiſcopo Remenſi conſecrato, eumdem Henricum III. Remis inunxit dominicâ Quinquageſimæ 13. Februarii, cùm jam Pontificatu Senonenſi ſe abdicaſſet anno 1563. factus Epiſcopus Metenſis ex permutatione cum Franciſco Belcario, cui in commodum ceſſere Abbatiæ S. Germani Autiſſiodorenſis, Rigniaci & S. Sigerani in Brena. Cùm annum ageret 56. è vivis exceſſit Lutetiæ 28. Martii anno 1578. & ibidem apud Victorinos Cœnobitas (citra pompam) humatus, quorum Abbas Commendatarius fuerat.

101. NICOLAUS DE PELLEVE', (al. *Poillevé*, cui cognomini conſentit gentilitium ſcutum caput humanum *crine erecto* præferens, citra tamen ullum avitæ nobilitatis diſpendium) regius in Univerſitate Bituricenſi Juris Profeſſor; tum variis togæ honoribus affectus: Regi ab intimis ſecretis, & in ſanctiori Conſilio ſingulari prudentiâ & mirâ ſagacitate ſpectabilis. Ejus pro catholicæ Religionis propagatione & tuitione ſtudium Paulum IV. induxit, ut eum in Scotiam tum in fide perplexam, nuntium Apoſtolicum legaret, fluctuantibus opem laturus; ubi ſuam impigrè operam navavit anno 1559. (malè apud Sanmarthanos 1569) Priùs ab Henrico II. nominatus Ambianenſis Epiſcopus intereſt Comitiis Aurelianenſibus cum Cardinale Guiſio, Johanne Morvilerio ibidem Antiſtite, & aliis Prælatis; ubi quæ Synodo Tridentinæ proponerentur, accuratiùs expenduntur. Ad quam Synodum dicto Cardinali comes proficiſcitur anno 1562. Præſul Senonenſis tantum deſignatus ex ceſſione Ludovici Cardinalis, ſed à Pio ſummo Pontifice nondum admiſſus. Rationem profert Palavicinus cap. 10. ad an. 1562. quem in Pelveum & æquitatem benevolum audire licet: [Obex illi fuerat injectus ab hæreſis criminatione apud Romanum ſanctæ Inquiſitionis tribunal, ejuſque Rector Alexandrinus Cardinalis, vir ſeverus ac religioſus repugnarat, & ne ille promoveretur obſtiterat. Sed producebantur à Pelveo ampliſſima teſtimonia Pariſienſis Academiæ, publicorumque Magiſtratuum pro ſua probitate atque innocentia; & in comperto erat ejus gregem (*Ambianenſem*) ſemper illæſum ab ipſo ſervatum fuiſſe, tametſi contaminatis populis circumſeptum. Eundem in Scotia plurimùm pro Religione laboraſſe, ejuſque defenſione plurimùm ipſius cognatos, viros ex primaria nobilitate, multa fuiſſe perpeſſos in Gallia, ubi ſummo ille erat in pretio, & in privato Conſilio

locum obtinebat. Quapropter Legati hominem Borromæo (*Cardinali & nepoti Pontificis*) per litteras commendarant: adjecerantque; Cùm hic à Lotharingo Cardinali maximopere amaretur atque æſtimaretur, beneficium uni collatum vim non mediocrem habiturum fuiſſe, tum in præſentia ad conciliandum alterum, qui tanquam proprium illud accepiſſet; tum poſtea ad conſervandam hujuſmodi conciliationem perpetuis fomentis officiorum quæ obſtrictus Pelvei animus impendiſſet. Pius his de rebus factus certior, etiam antea à Gualterio, qui Nuntius in eo regno fuerat, donec ad Concilium miſſus eſt, illi commiſit ut polliceretur Lotharingo Pontificem in eo ipſi gratificaturum. Nec interim Pelveus quidquam omiſerat quod concordiæ conferre poſſet. Ubi verò promiſſis Romæ reſpondit eventus, compertum eſt quanti faceret Lotharingus eam Pontificis gratificationem honorificentiſſimis formulis in Borromæi epiſtola deauratam.] Hæc purgando à ſuſpicionibus Pelveo tacenda non erant, quæ munita voluit Palavicinus citatis in margine Legatorum Concilii, Borromæi & Gualteri literis.

Nec ingratus in Papam, nec in patronum ſuum Guiſium Pelveus (agente potiſſimùm eodem Gualterio) pacis aut novi fœderis inter utrumque ſequeſter fuit & Romam internuntius. Nec enim in quædam Romanæ Curiæ placita conceſſerat Lotharingus Cardinalis, ob quod Pontifici videbatur infenſus, ſed Pelveo mediatore, non diu ſtetit utrinque commotio. Studuit adhuc impenſius Romanis partibus gratificari cùm Oratoris Ferrerii conteſtationem, quæ toti Synodo lapis offenſionis fuit, non probavit cum aliis quibuſdàm, ſed paucis Præſulibus Gallicanis. Hoc candidæ mentis argumento probavit ſe Pontifici maximo, nec diſplicuit Regi; quo favente nec Pio gratiam recuſante, ſacrâ purpurâ donatur, & titulo S. Praxedis anno 1570. & poſt biennium Romam profectus, præter galeri ſolitum inſigne novis titulis & Curiæ chariſmatibus cumulatur.

Romæ diu commoratus ſtrenuam Eccleſiæ rebus operam navavit; nec putavit ſibi culpæ fore, aut ſua in Eccleſiam aut in patriam pietate indignum, ſi tùm fœderatorum Galliæ (quæſito ad fucum nomine) cauſam promoveret. In cujus *ſancti fæderis* acrioribus ſtudiis totus implexus, Româ Lutetiam reverſus, illius novi conſeſſus Præſes eligitur, qui jam priùs ad Remenſem Cathedram tranſlatus fuerat anno 1592. Sed pa-

Digitized by Google

rem illis novis honoribus ætatem non ferens, ſuæ tantùm famæ ſuperſtes, quam integram habuiſſet ſi in gratiam ſui Regis ſibi caviſſet à fœderatorum præſtigiis. Annos natus 77. Lutetiæ vivere deſiit poſtridiè feſti Incarnati Verbi anno 1594. eo ferè temporis momento quo Rex Henricus IV. ſummo omnium plauſu & gratulatione, ſolo mœrente Pelveo, urbem ingreditur. Corpus apud Cæleſtinos depoſitum, Remos tranſlatum eſt, cujus tumulus in majori Baſilica conſpicuus, epitaphium habet à Sammarthanis exſcriptum. Notat Ciaconius commiſſam ei fuiſſe regiorum ſigillorum cuſtodiam.

102. REGINALDUS DE BEAUNE, patriâ Turonenſis, & ſuorum nobilitate inter præcipuos Cleri Gallicani proceres inſignis. Ampliſſimæ familiæ decora (de qua plura legeſis apud eoſdem doctiſſimos gemellos) iis animi virtutibus propagavit, quæ virum ad maxima natum, & ad primarias Eccleſiæ regnique dignitates evehendum mirè commendant. Hanc honorum panopliam ambitiosè recenſent alii: hîc unum dicam quod meruit omnes. Potens in Senatu Pariſienſi, clarus in aula major in Eccleſia, ubique fuit omnium admirationi & amori, ſed in primis Henrico III. & H. IV. Regibus ſummè placuit, quem primus ex Canonico Pariſienſi Comitem & Epiſcopum Mimatenſem nominavit, & Archiepiſc. Bituricenſem anno 1581. quem etiam egregiè perorantem nomine Cleri in Comitiis Blæſenſibus audivit anno 1588. Alter verò Magni Franciæ Eleemoſynarii dignitate, & Ordinis S. Spiritus præceptoriâ cum inſigni regio decoravit anno 1592. Nec perſ unctriè tanto Regi grati animi vices rependit, cujus partes in Comitiis generalibus & aliis fœderatorum ſeu factioſorum Conventibus integra fide tutatus eſt: cui ad fidem catholicam amplexandam perplexe devoto animos addidit, vires languenti ſuffecit, & ad ejurationem perverſi dogmatis prono totum ſe dedit. Quem tandem probè pœnitentem & ſincerè converſum, in atrio Regalis Baſilicæ S. Dionyſii avitam fidem & patrum Religionem jurantem excepit, in ejuſdem abſide ſacra exomolegeſi piavit, & altari pronum ſub finem Miſſæ, cui interfuit, ſalutaris Sacramenti communione beavit. Hæc Reginaldus lætante cælo, mundo ſtupente & tota Gallia jubilante; ſed forſan invidente Roma tanti operis præambula ſibi prærepta fuiſſe. Quo tacta mœrore (ſi fides aliis) virum Apoſtolica cidari coronandum, nec tamen Cardinalitia, Rege flagitante

dignandum cenſuit. Minus forſan aberrabit à vero qui dixerit ideo negatam Reginaldo purpuram, quod dum in cauſa Religionis ſeu ſacri fœderis fervérent utrinque ſtudia partium Gallos inter & Romanos, propoſitâ de Patriarchatu in Galliis erigendo ſententiâ, primus & acrius in eum propenderet Reginaldus Belnenſis, obſiſtente tamen ei Cardinale Borbonio, nec melioribus votis rem improbam avertente. Aliis magis arridet ore livido contabuiſſe famam ejus, & furtivis ac mendacibus ſuſurris Romæ malè audiiſſe, quæ tamen omnia riſit vir ſuo merito potens & omnium opinione melior. Interea ſuæ dignitati comes individuus, quâ verbo, quâ ſcripto Eccleſiæ ſemper utiliſſimus fuit. Qui licet gravioribus Regni negotiis cingeretur, ſuo tamen gregi ſolicitus affuit, & Synodum illam Provincialem tantâ pietate & eruditione conſpicuam celebravit menſe Sepr. anni 1584. quæ ad ſucceſſores ceu vigilantiæ ſingularis & paſtoralis ſolicitudinis eximium monumentum perennabit.

Ut ſibi vicinior & ditior eſſet voluit Rex ut ad Senonum Metropolim tranſiret anno 1602. conſentiente Clemente VIII. quem in Abbatia S. Petri Vivi more majorum inſtallandum & ſuper ſepulchris Martyrum pernoctaturum excepit Carolus Prevoſt Abbas Vivianus ineunte Septembri, honorifica bajulatione inde deportatus ad Cathedralem Baſilicam. Notat Carolus Sauſſaius Decanus Aurelianenſis & teſtis oculatus, eo tempore Reginaldum Aureliæ ſacris operantem Henrico IV. ſacratiſſimum Chriſti Domini Corpus præbuiſſe cum ſumma totius Cleri & populi, qui aderat, jubilatione. In ſchedis Vivianis hæc de Reginaldo legimus: [*Anno* 1605. *in Concilio Pariſienſi cum Claudio de Belliévre Lugdunenſi Archiepiſcopo de Primatu Galliarum conteſtatus eſt*. Sequenti obiit Lutetiæ annos natus circiter octoginta, coram ara maxima Templi primarii Mariani, cujus pridem Canonicus, tumulum habens cum hoc epitaphio quod à Sammarthanis tranſcriptum juvat hîc iterum legi.

DEO OPT. MAX. «

ET ÆTERNÆ MEMORIÆ. «

Viri immortalitate digniſſimi Reginaldi de Beaune, qui ſex Chriſtianiſſimis Regibus Franciſco I. Henrico II. Franciſco II. Carolo IX. Henrico III. & Henrico IV. fidelem ſtrenuamque na- «

„ vavit operam. Franciſci Andium & Alençonii Ducis Cancella-
„ rius, in aula Palatinus, ſanctioriſque Concilii Senator, in Sacer-
„ dotum Conventu Eccleſiaſticis officiis gloriosè perfunctus; pri-
„ mùm Mimatenſis Epiſcopus, deinde Bituricenſis Patriarcha Ar-
„ chiepiſcopus, Aquitaniæ Primas: poſtea Senonum Archiepiſco-
„ pus, Galliæ & Germaniæ Primas, magnuſque Franciæ Eleemo-
„ ſynarius, plenus honoribus & annis, animam ſcientiis omnibus
„ & virtutibus decoratam Deo reddidit anno ætatis 79. reparatæ
„ ſalutis 1606. Karla & Maria de Beaune è fratribus F. F. mœ-
„ rentes D. D.]

„ Ejus meminiſſe voluit Antonius Poſſevinus his verbis: [Re-
„ ginaldus de Samblaçai, Patria Beaunenſis, Archiepiſc. Bituri-
„ cenſis edidit Pariſiis anno 1581. inſtructionem ad ſuum Clerum:
„ Orationem item in funere Cardinalis Biragii Galliæ Cancella-
rii.] Thuanus lib. 3. Commentariorum vitæ ſuæ ſtatim ab initio, Reginaldum nobis exhibet tanti hepatis & tam immodicè appetentis (apud Græcos βουλιμία dicitur) ut ſibi neceſſum eſſet juſto epulo reficere ſingulis diebus primâ poſt mediam noctem horâ; quartâ matutinâ; ſextâ; medio ſole; quartâ poſt meridiem; octavâ veſpertinâ, & decimâ.

103. JACOBUS DAVI DU PERRON. Cui convenientius iſtud inſcribendum: *Qui ſtupor eſt mundi & ſcibile diſcutit omne?* Nec apud ſui ſæculi quemquam natura præſtantius, aut gratia, cùm ad patrum Religionem rediit, ſanctius emicuit. Scribunt quidam natum eum anno 1556. 25. Novemb. apud ſanctum Laudum in inferiori Neuſtria (præſtantiſſimorum virorum feraci ſolo) ex nobili Perroniorum ſtirpe, de Cretteville & de Languerville, parentibus heterodoxis. Alii putant, ut qui vitæ & operum ejus editionem accuravit, Helvetium eum eſſe ex tractu Bernenſi ad quem parentes ejus, cauſa Religionis confugerant. Hanc gloriam extraneis Gallia tutius invidebit. Puer optimi vultus & conceſſis à natura dotibus præſtans, vividæ mentis indolem altius præferebat, & ſupra communem mortalium ſortem. Ingenio ad omnia facili, firmo, ſagaci; cui pari felicitate judicium omnium potens; & memoria ſingularis, quæ omnibus admirationi fuit, cuique parem non viderint multa retrò ſæcula. Animo ſic liberaliter inſtructo ſcientiarum pænè omnium cultus acceſſit & linguarum peritia; quo literario penu locuples, omnium hujus ſæculi erudiſſimus audiit. In hæreſim patriis focis inhærentem inciderat, quam aſpirante numine, &

ingenii magnitudine ſolidiora rimantis ſprevit, abjecit, & quamdiu vixit ſcriptis, concionibus & diſputationibus profligavit: ſed ea dicendi ſuavitate vir à natura comiſſimus, ut ſalvâ fidei victoriâ, multus veritati ſuffragium ſuâ benignitate paraverit, & ad eam plures induxerit morum comitate & indolis præſtantia; quos inter Henricum & Johannem Spondanos fratres, pietatis & doctrinæ fama clariſſimos.

Verùm quo ſe potiſſimùm poſteritati ſacravit & nomen immortale fecit (tanti eſt ter maximum Galliæ Regem Eccleſiæ Catholicæ reſtituiſſe,) ipſe eſt Henrici IV. reditus ad patria ſacra, quem auſpice Deo totus procuravit Perronius, vix alius operi tanto manum admovebat. Suis intenta commodis obnitebatur Hiſpania, in Henrico Catholicum ſimul & Chriſtianiſſimum Regem averſata: vix ferebat Gallia, nondum ſuæ felicitatis conſcia: diffidebant optimates ſub vano Religionis ſimulachro ſua meditantes: quibus ſanus erat animus & pius in Regem, lubricam in eo fidem verebantur poſt prioris ad aras juratæ deliquium: omnium iniquius in vota Regis & Regni pacem inſaniebat hæreſis, actum fore rata de communione Romana ſub capite ſuæ religionis ſibique propitio. Ampliſſima Perronio negotii & laborum ſeges. Qua pollebat eloquentiæ vi, quo tumebat pondere rationum, quibus inſtructus erat Scripturæ, Patrum & Conciliorum firmamentis, cùm in publicis, tùm in privatis conceſſibus omnes ad ſaniora reduxit. Tum Romam legatus (jam à Rege nominatus Ebroicenſis Antiſtes) in qua ſibi major difficultatum moles incumbebat, anxio Pontifice, nec ſponte facili, ſacris Senatoribus plurimùm averſis, & pro ſtudiis partium in varia ſciſſis, cunctis tandem ad iniquas conditiones Regem urgentibus; ſic vir induſtrius, & jam omnium opinione mirabilis, obſtacula vicit; ut Apoſtolici Senatûs Præſidem & Purpuratos Collegas ſibi redditos & æquitati non tam ſuo Regi conciliaverit, quam ejus voluntatis adminiſtros effecerit. Sic tamen Sacerdotii & Imperii jura ſarta tecta voluit Perronius, ut illæſâ majeſtate, Eccleſiæ decoro abundè caverit. Regis fidei obſes receptus, & ejus nomine ritualibus flagellis & diris Eccleſiæ ad valvas primarii Templi ſponte devotus, humilis & pronus Clementis pedibus unà cum Oſſato adverſi dogmatis prava damnavit & ejuravit, & Apoſtolicæ ſedis gratiam, Regi cuncta probanti, quin imperanti refundendam, lætus accepit.

Româ redux his clarus triumphis, novis adverſus hæreſim

Digitized by Google

agonibus præficitur ; & in nobiliſſima paleſtra, ſpectante Rege, Cleri regnique Primoribus & Segregum anteſignanis, cum Pleſſæo Mornæo, Salmurienſi arci præfecto, cui primas neotericæ religionis ſui conceſſerant, congreditur tam fauſtis avibus & valida ſemper chriſtianâ veritate ; ut in æmulo quingentos lapſus malæ fidei & perverſi ſenſus palam fecerit. Nec in illa ſolùm famoſiſſima congreſſione apud Fontem-Bellaqueum acta , victoriæ lauros retulit ; ſed in aliis cum Heterodoxis conventibus miles in fide cataphractus certaminis ſemper fauſta promeruit , ut Meduntæ, Rothomagi, & alibi : in quibus ſemper ſincerè victor Perronius , nuſquam tamen meritis honoribus indulſit ; niſi cùm plures & inſignes viros à grege dominico devios , ad ejus caulas redeuntes vidit , ut Harleum , Sancium & Philippum Freſnium Canaïe magni nominis apud Venetos Legatum : ſibique laudi non minimæ fuit Catharinæ Regis ſorori ad hæreſim ejurandam præſidio fuiſſe. Illuſtrior fuit conflictus & Eccleſiæ glorioſior , cùm Anglorum Regi exotica de fide publicanti , cum ſummo eruditorum omnium plauſu reſpondit , nec indignantibus adverſæ partis coriphæis , virum mirantibus , cui tota retrò Patrum armatura & Conciliorum omnium panoplia ad ejus claſſica præſto erat. Non tulit diutius Roma tantæ virtutis Præſulem ſuos inter Patres conſcriptos deſiderari ; nec minùs gratum Regi fuit ſacram in aula ſua purpuram honorari , quâ cum Clemente VII. veſtitum voluit Perronium , qui poſtea titulo S. Agnetis in Agone donatus fuit 9. Junii 1604. ſeptemdecim cum eo in ſacrum Collegium accitis : ad quod ei properandum fuit inſtante morte Clementis, qui 3. Martii anni ſequentis fatis conceſſit , quique inter cœtera benevolæ mentis monimenta Perronio de Eccleſia meritiſſimo grati animi vices repenſurus annulum ſuum Epiſcopalem dederat. In electione Leonis XI. ſtatim extincti , & Paulo V. ſuffragium dedit , nec per eum ſtetit quin ad primas orbis inſulas Baronius eveheretur, ſalvâ priorum reverentiâ. In frequentioribus Patrum Purpuratorum conceſſibus , ubi de difficillimis Eccleſiæ negotiis tum decernebatur, Romanis ut Gallis mirè ſemper innotuit , quem ideo gratificaturus Rex ſibi amiciſſimus magnum Franciæ Eleemoſinarium & Archiepiſcopum Senonenſem nominavit anno 1606. ad quam ſedem celebri pompa promoveri voluit ab eodem Carolo Prevoſt Abbate S. Petri Vivi & ejus Monachis in eo-

rum

rum Eccleſia Parochiali S. Petri de arce, vulgò *du Donjon*, in urbe; infirma tunc valetudine Cardinalis, ad eorum cœnobiticam Baſilicam (in qua mos eſt Archiepiſcopos primùm inſtallari) ſeſe recipere non valentis. Abbatiâ S. Taurini Ebroicenſi, quam librariæ ſuæ ſupellectilis ſcripſit hæredem, potitus eſt : cujus etiam Archiepiſcopali menſæ unita fuit altera S. Johannis Senonenſis Clericorum Regularium S. Auguſtini in ſuburbanis S. Petri Vivi pomœriis. Obedientiæ & ſubjectionis juramentum ei præſtitit Henricus de Gondi Pariſienſis Epiſcopus, Cardinalis de Retz vulgò dictus, his conceptum verbis, & prolatum ad aram maximam templi primarii Senonenſis. [Juro Deo & S. matri Eccleſiæ Senonenſi, tibique « illuſtriſſimo & reverendiſſimo in Chriſto Patri ac Domino D. « Cardinali du Perron Senonenſi Archiepiſcopo, tuiſque ſucceſ- « ſoribus debitam ſubjectionem & obedientiam ore promitto & « manu propria confirmo. Actum Senonis ſuper Altare ejuſdem « Eccleſiæ, &c. die 28. Martii anno 1616.] ex autographo codice Juramentorum in Archivis Senonenſis Eccleſiæ. Deſciverant Veneti à gratia Pauli V. ſummi Pontificis,cui religio fuerat Eccleſiæ jura tueri, quæ ab illis læſa putabat. Hinc Petrus & Marcus inter ſe commiſſi, & utrinque quamvis non paribus armis atrox rerum facies. Nullus occurrebat pacis arbiter, ſciſſis in diverſa Principum quorumdam ſtudiis ; ut quibus nec diſplicerent diræ Pontificis, ut inter armorum conflictus à quibus non abhorrebat Paulus, cui jungi plures avebant, ſuis forſan attrita cladibus Veneta Reſpublica, cupiditati cederet confœderatorum. Solus inter Chriſtianos Principes medius ſtetit Henricus IV. qui pro ſua in primam Sedem religione & obſervantiâ, & quâ erat in Venetos animi propenſione, ſtatuendæ pacis curam in ſe recepit, ſuis ad id internuntiis Cardinale de Joieuſe, & Freſnio de Canaie Oratore Gallico nominatis.

Tantæ molis negotium, quod omnium animos intentos habebat, non poterat attentâ partium & conditionum hinc inde propoſitarum qualitate, optatum finem ſortiri, niſi Perronius rei deploratæ ſuccureret juſſu Henrici. Curandæ valetudini ex medicorum præſcripto tum incumbebat; ſed rebus propriis longiùs faceſſere juſſis, iteratis vicibus cùm ad Pontificem, tum ad Senatores Venetos regius Orator accedens, fœdus omnium opinione vix tentandum, cùm omnium plauſu & gratulatione compoſuit. Pluribus aliis pro pace re-

Digitized by Google

gni & Eccleſiæ Conventibus interfuit, in quibus prudentiæ ſingularis & ſtupendâ ſemper variæ eruditionis exhibitione famam ſibi peperit immortalem. Lutetiæ Synodum Provincialem habuit cum omnibus ſuffraganeis ſuis, anno 1612. nona Martii, ex qua decretum prodiit pro condemnatione libelli de Eccleſiaſtica & politica poteſtate, (cujus auctor tandem innotuit Edmundus Richerius Doctor Pariſienſis) *juribus tam Regis quàm Eccleſiæ Gallicanæ, ejuſque immunitatibus & libertatibus per nos non tactis*, inquiunt Patres. Quibus pari decreto conſenſit poſt duos menſes Synodus etiam Provincialis Aquenſis. Hujus cenſuræ delineatio ſumſit initium ex hac theſi propoſita in generali congregatione Dominicanorum Pariſiis: *In nullo caſu Concilium eſt ſupra Papam.* Aderant diſputationi Cardinalis Perronius Nuntius Apoſtolicus, Præſes Parlamenti, pluresque alii ſelectiſſimæ nobilitatis & literaturæ, quibus comes ipſe Richerius Univerſitatis Sindicus. Nuntio diſplicuit theſis quam hæreticam plures cenſebant. Rixantibus utrinque æmulis pro ſtudio partium, medius ſterit Perronius, qui citra ullam inter Sacerdotii & Imperii jura diſcordiam doctè peroravit, dicam hæreſeos à Theſi removit, & quâ erat ingenii facilitate & in omnes propenſione diſſidentes ad pacem reduxit, ſolo indignante Richerio, cujus tandem prava ſenſa damnavit. Poſtmodum muſarum amoribus iterum irretitus, quibus otium, ut ſenectæ ſolandæ, parabat, & quibus celebre domicilium Pariſiis (Ludovici XIII. donarium) dandum curaverat an. 1610. Bagnoletum ſeceſſit, Lutetiæ ſuburbanum; ubi novis ad gloriam chariſmatibus dives mortalis deſiit, qui vixerat immortalis 4. Sept. anni 1618. vitæ 63. Sedis circiter 12. vix toto orbe celeberrimus. Ei morienti chriſtiana miniſtravit Philippus Coſpeanus Epiſcopus Adurenſis, poſtmodum Lexovienſis, & ſuis ſupremis tabulis inhumari voluit in Baſilica ſua Senonenſi in extrema parte chori ſuperioris ad Septentrionem, ubi tumulum habet marmoreum cum ſua & ſucceſſoris germani ſui ſtatuis ex albo marmore mirâ artis induſtriâ elaboratum; cui titulos honoris & debitæ gratitudinis addidit Jacobus Perronius nepos, Epiſcopus Encoliſmenſis, anno 1636. quos a Sanmarthanis editos ideo prætterimus. Aliud cenotaphium habet in animis omnium ad quos tanti viri memoria perennabit, in cujus æternitatem omnia conſentiunt.

Digitized by Google

104. JOHANNES DAVI DU PERRON, ſuperioris frater, cujus factus Coadjutor & Archiepiſcopus Heracleenſis 15. Cal. Januar. 1617. & ſequenti Senonenſis, famæ germani ſui proximus hæres, ingenii magnitudine, rerum agendarum prudentiâ & felicitate, virtutum ſplendore & dicendi gratia ferè ſimilis. Legationes obiit Regis nomine quibus perduelles & ab Eccleſia devios intrepidè domuit: nec calamo minus quàm verbo potens, pluribus à ſe dictatis veritati ſemper ſuffragium tulit. Sui celebritati nominis mors immatura invidiſſe videtur, vix expleto Sedis triennio è vivis excedens 24. Octobris anni 1621. ætatis 56. Regi Ludovico Montem Albanum cingenti proximus cum cæteris ſanctioris Concilii proceribus. Illinc ampliſſimo funere Senonas elatus in ſepulchro fratris quieſcit, pluribus etiam elogiis ibidem à nepote ſuo Jacobo Perronio Encoliſmenſium Præſule cumulatus.

105. OCTAVIUS DE BELLEGARDE, poſtremus è Benedictina familia Sancti Germani Autiſſiodorenſi, ubi Monachum induit inter tam plures, ſuæ Sedis Archiepiſcopos (itidem S. Benedicti Myſtas) ad Senonenſe ſolium aſſumptus: Cæſaris Reguli Santonum, *inquiunt Sanmarthani*, & Magiſtri levioris equitatus Franciſci Ducis Alenconii, & qui in Cutracenſi prælio vulneribus acceptis glorioſè occubuit, filius fuit. Avum habuit Rogerium de Bellegarde, & in cujus etiam ampliſſimæ familiæ decora confluunt inclitæ domus de S. Lari, de Termes, de Gondrin, d'Orbeſſan, de Monteſpan &c. tùm viâ traducis tum fœderis. Poſthumus natus eſt, nec multò poſt cum humanioribus & ſacris literis adultus, brevi ſe talem exhibuit quem inclitum Eccleſiæ decus futurum & jam hujus gloriæ ſuis dotibus candidatum, è cucullo ad infulas Conſeranenſes raperet Ludovicus XIII. anno 1614: pluribus etiam Beneficiis auctum ut qui S. Germani Autiſſiodorenſis, Pultarienſis, S. Michaëlis Tornodorenſis, & B. Mariæ Vallis-lucentis Abbas & dominus d'Aubrac fuerit Regis munificentiâ, non cupiditate Octavii, quem ſacris canonibus & Eccleſiaſticæ diſciplinæ devotiſſimum noſtra vidit ætas. Septem poſt annos toti Clero Senonenſi præficitur 14. Novemb. 1621. Sedem tamen ſolemni pompa non adeptus niſi die feſto Virginis Aſſumptæ anno 1623.

Interim, necdum præſidente Octavio, tentaverat Henricus Gondius, reductâ ad ſimplicem Epiſcopatum Eccleſiâ Senonen-

ſi, totam Metropolim ſuæ ſubjicere Pariſienſi, cauſatus (inquit J. Bapt. Driot Canonicus Senonenſis) Pariſinæ civitatis amplitudinem, ſtupendâ populi frequentiâ exundantem, immenſas opes, potentiam, famam & ſplendorem, quibus omnibus non modò clariſſimarum civitatum Galliæ, non Europæ modò, ſed & orbis univerſi caput ac princeps ab aliquot vocitata ſæculis, ad Metropoliticum honorem efferenda meritò videbatur. Verùm ſtatim intepuit animus ſic immodicè æſtuantis, ſibique ſatis eſſe putavit Gondius ſi detractis cum ſua à primatiali tribus Sedibus Carnutenſi, Aurelianenſi & Meldenſi novam Lutetiæ Metropolim excitaret. Cujus voti nuſquam tamen compos, quin & pœnitens, germano ſuo & ſucceſſori Johanni Franciſco coram teſtibus integræ fidei (qui promulgarunt) proximè moriturus injunxit ne opus ambitioſè cœptum proſequeretur. Noluit ille, & quâ potuit apud Regem induſtriâ, apud Aulicos auctoritate, & apud Papam intimis Cardinalium ſibi faventium flagitationibus, optatis tandem potitus eſt, Gregorio XV. Pontifice maximo rem arduam indulgente & Rege favente quamdiu naſcenti fortunæ veritas non invidit: quam ubi compertam habuit Ludovicus, & juſtis queſtibus obniti Senoniam, Sillerio ſuo ad Pontificem Oratori mandat ut modò reſciſſis quæ pro erectione Pariſienſis Archiepiſcopatus, ſuo nomine convaluerant, officiis, Octavio Senonenſi nominato Bullas impetret priorum conditionum in favorem Pariſienſis appoſitarum expertes. Literis datis in Caſtris de Lunel 17. Aug. 1622. quibus novas ad eumdem addidit 22. Sept. ejuſdem anni. Sed quo fato à ſuis exciderint votis, mihi non compertum: ut nec officia Cleri Gallicani ſuis in Comitiis anni 1625. & 1626. Octavio propitia, divulſionem illam improbantis, & apud Pontificem & Regem irritam fore ſatagentis decreto ſuo anni 1626. 2. Januar. & pluribus aliis iteratis. Stabili tandem novâ Metropoli voluit Rex æquiſſimus reſarciendo utcumque damno Senonibus illato, annuam ſexdecim millium Librarum Turonenſium penſitationem fieri Eccleſiæ Senonenſi, donec ei ejuſdem aut circiter valoris Beneficium uniretur, ut contigit ſub Ludovico Octavii ſucceſſore.

Cæterùm nec præeſſe dignius nec uberiùs prodeſſe potuit Octavius utilitatis publicæ ſtudioſiſſimus, quàm cùm Patres Societatis Jeſu Senonas induxit 20. Septembris 1623. piis votis inhærens Cardinalis Perronii: certus nullum majus quàm inde

Digitized by Google

virtutibus & literis fore præſidium. Ære quidem parvo nec amplis ædificiis prima Collegii deſigna poſuit; ſed qua potuit ope & Pontificiis gratiis viros Reipublicæ devotiſſimos fovit. Nec ſegnes beneficio fuêre Monachi S. Petri Vivi, illis concedentes domum ſuam Des Tournelles Archiepiſcopali Palatio vicinam, in quam temporibus iniquis & cum ſuburbana periculo forent, ſeſe ſubducebant: rati ſe dignum, apud quod olim publicus Literarum cultus & magiſterium erat (ut ſupra viſum in Sevino) nobilioribus ſcientiarum coryphæis & anteſignanis, Lycœum cedere & domicilium. Par fuit in plures alias ſuæ Diœceſis Regularium domos pii Præſulis cura, ut primævus obſervantiæ Cœnobiticæ ſtatus novis ad pietatem incrementis rediret. Hinc patribus Congregationis S. Mauri, quibus Abbatiæ S. Columbæ Senon. reformandæ cura fuerat à Rege demandata, auxilio fuit impigro labore & paſtorali ſua ſolicitudine digniſſimo, rebus ad optatum finem deductis die 26. Julii anno 1636.

Non minori ſtudio nec impari fructu, votis etiam ultrà condignum conceptis, Monachos S. Petri Vivi ab avita Religione jamdudum deflectentes, prævia Regis juſſione, & intima ſua pietate (quam fauſtam ſibi cynoſuram prædicti Maurini patres ambierant) ad orbitam Monaſticæ diſciplinæ reduxit. Domum illam Vivianam inter Regulares ſuæ Diœceſis primariam, inſtallandis primùm, tum ſepeliendis Senonum Præſulibus ab ortu Chriſtianæ fidei deſtinatam; plurium ſanctorum, præſertim Archiepiſcoporum & Martyrum cineribus undequaque tumentem; & quæ cæteris olim religione & eruditione præiverat, ægre ferebat vix eam eſſe quæ fuerat; cujus tandem novis cunis & iterato Regulæ natalitio obſtetricias manus admovit piiſſimus Præſul 3. Aprilis 1638. & ne defectu ſubſtantiæ familiaris deficeret iterum obſervantiæ Monaſticæ vigor, Menſam Conventualem S. Remigii Senonenſis uniri curavit Vivianæ Regio Diplomate & Pontificio, priore anni 1641. 26. Januarii, altero 3. Aprilis 1638, quibus acceſſit Decretum Pariſienſis Senatus 4. Mart. 1641. ſingula probantis. Pari zelo Monaſticæ diſciplinæ Clericos Regulares Cœnobii S. Johannis Senonenſis ad meliora revocavit, accitis è Pariſienſi S. Genovefæ Monaſterio Myſtis ſummæ pietatis & Religionis, uti ſupra commemoravimus, quarum ſtudio & exemplis (reddito Cœnobitis illis Auguſtino ſuo, cujus ad Sanctimoniales Regulam, ab Hugone Victorino

Digitized by Google

viris accuratam & à Daimberto Præſule Senonis commendatam, elegerant illi) qui ſopitus erat Religionis fomes, ſummo omnium plauſu revixit. Regularibus aliis quorum in hac Diœceſi numeroſiſſimus apex, ſimili pietate ſuccurrit; & veterum familiis probè conſtitutis, novas induxit; quas inter Moniales Benedictinas apud Villamnovam Regis, & Carmelitanas Senonis ſpectabili munificentiâ fundavit: cæteris auctoritate, gratiâ, & penu providit.

In promovendis Eccleſiæ rebus pervigil ſemper & ſtrenuus plura intrepidæ mentis, prudentiæ ſingularis, variæ eruditionis & eximiæ pietatis monumenta coram exhibuit ſive privatim egerit, ſive in publicis Cleri Gallicani Conſeſſibus, Pariſienſibus ſcilicet, Fontanenſibus apud Pictones, & Meduntenſibus, quibus utriſque Rege volente præfuit. Hæreticos etiam, ut erat egregius Verbi Divini præco, non ſemel attrivit, nec paſſus eſt errorum ſemina pullulare, quos ſtatim ab ortu ſuccidit. Anno 1643. die 16. Octobris in Abbatia ſancti Petri Vivi tranſtulit corpus ſanctæ Theodechildis ſive Techildis Virginis, filiæ Clodovei primi Francorum Regis Chriſtianiſſimi ex Chlotilde, quod altari majori vicinum poſt conflagrationem templi ad ſecuriorem ſitum poſuit in interiori Baſilicæ ſacrario cum aliis ſanctorum pignoribus ſacris, quibus affatim gaudet Cœnobium illud Vivianum, præſentibus Rogerio Duce de Bellegarde Franciæ Mareſcallo, & Pari, Johanne Antonio de Gondrin Priore Commendatario S. Orientii Auſcenſis; Claudio Duchatz Abbate Regulari S. Pauli Senonenſis, Humberto du Roollet Vicario generali & Cellerario Metropolit. Carolo Deris, Canonico, Johan. Baptiſta Driot urbis Majore & pluribus aliis. Ejuſdem Virginis feſtum, cujus à 400. annis ſanctiſſimum caput argenteo vaſe confectum omnium oſculis & venerationi patebat, & cujus nomen in ſacris Eccleſiæ majoris Dipthycis celebrari aut renovari juſſit ejus Natalitio die 28. Junii, & Tranſlationis, Diplomate dato 26. Octobris ejuſdem anni. Anno 1628. die 6. Decembris Senonis excepit D. Hieronymum Spada Nuntium Apoſtolicum (poſtea Cardinalem) Urbani VIII. literas afferentem, petentis à Monachis ſancti Petri Vivi ad ſe mitti particulam particulam capitis S. Gregorii Magni Papæ & Eccleſiæ Doctoris; aſſerentis ibidem adhuc in ſcriniis Vaticanis aſſervari authenticum inſtrumentum conceſſi prædicti capitis Anſegiſo Senonenſi à Johanne Papa VIII. anno 876. A quo deciſum fragmentum

Digitized by Google

ex ea parte quæ temporibus contigua eſt, datum eſt eidem Nuntio Romam transferendum: quod quindecim poſt annos Urbanus moriens conceſſit Patribus Oratorii in Vallicella. De his me monuit ſucceſſor Lud. Henricus de Gondrin, Schedæ Vivianæ, & Oratorii Romani ad me Româ tranſmiſſæ. His & aliis præclariſſimæ vitæ muniis perfunctus Monſtrolii juxta Pariſios diem obiit extremum 26. Julii anno 1646. ætatis 59. Sedis circiter 25. cùm priùs 15. Januarii anno 1643. Senonenſem Eccleſiam bonorum ſuorum hæredem ex aſſe ſcripſiſſet, pauperes ex quadrante. Cujus corpus omnium lacrymis madens humatum fuit celebri funere ad ſuppedaneum throni Pontificalis in Baſilica ſua primatiali in profeſto S. Laurentii anni prædicti.

106. LUDOVICUS HENRICUS DE GONDRIN Sedis hujus Coadjutor & Heracleenſis Archiepiſcopus, ab Octavio de Bellegarde conſanguineo & deceſſore ſuo conſecratus in Eccleſia Monialium Lilii prope Melodunum 14. Maii anni 1645. Nullus tum inter ſacros Galliæ proceres aut prævivit ſplendore generis, aut præclaris animi dotibus ſinceriùs excelluit: & ut olim eidem præfati ſumus, vix erga alium natura liberalior fuit, aut fortuna charior; ſed infra ſe credidit quidquid infra ſapientiam eſſet. Sciebat naſci principem fortunæ nonnunquam ludibrium eſſe; magnum fieri & illuſtrem partum eſſe ſapientiæ & gloriæ fructum. Hinc licet ſplendore natalium emineret, ſibi tamen glorioſius putavit ex moribus & literis quærere claritatem, quaſi nullam ex genere contraxiſſet. Hinc ad ipſum virtutis & ſapientiæ licæum properavit, patres dico Societatis Jeſu, & ſcientiarum omnium puriſſimos fontes, ſub quorum regimine totus crevit præſtantiori gloriæ, virtutibus adolevit.

Nec tamen inclitæ nobilitatis ejus titulos & gentilitium decus hîc tacere licet, quibus ſingulari modeſtiâ moderante, ſibi gradum fecit ad maxima. Ei vetus Hiſpania ſanguinis propinquitate cohæret ex præclaro nuptiarum fœdere Cardonenſium Ducum in Catalaunia (à quibus originem ducit) cum regiis ſtirpibus Aragonenſium Principum Comitumque Fuxenſium & Armeniacorum. Cui non imparem generis ſplendorem affundit duplici ſuorum aucta connubio Caſtillonenſium domus apud Medulos, Cypriorum Regum ex ſerie Luſignianorum generoſa propago. Cui etiam novis fœderibus addicti cum Terminenſibus Bellogardii Duces, ſummi Galliæ

Digitized by Google

gni ſecum adminiſtrum & curarum conſortem haberet, ſi invidioſæ virtuti cetera faviſſent. Quo tempore jam Prior S. Orientii Auſcenſis donatur à Rege Abbatiâ S. Remigii Senonenſis; & S. Petri de Calamis Ordinis Benedictini. Tertiam recuſavit S. Johannis Angeriacenſis, meliori penu & ubere gleba; ne in rebus arduis quæ tùm urgebant, & integerrimo Præſuli committendæ erant, forſan diceretur plura donario, quàm ſuæ in Regem fidei conceſſiſſe. Georgium d'Aubuſſon Archiepiſc. Ebredunenſem conſecravit in ſacello B. Mariæ S. Germani à Pratis die XI. Septemb. anni 1649. cooperantibus Ludovico Regienſi, & Felice Cathalaun. Epiſcopis.

Præfuit Comitiis generalibus Cleri Gallicani, anni 1665. & ſequentis, in quibus cùm ad Regem tùm à Rege fidus Orator ſic peroravit, ut eâ quâ præ cæteris enituit in agendis rebus ingenii præſtantiâ & felicitate, Eccleſiæ ſemper propitius fuerit, tantoque Principi gratiſſimus, qui eum de ſe bene meritum ſibique ſtudioſè devotum coram aliis Proceribus ſacris, nec citra quorumdam invidiam frequens edixit. Libertates & jura Cleri, quibus pervigil & intrepidus cavit, ſic tuitus eſt, ut ſi quibuſdam tædium peperit, omnibus admirationi fuerit. Literatos & inſigniter doctos impensè coluit: & ſi fortè diſplicuit, quibus placere eximia laus eſt, illud fortunæ cuncta miſcentis ludibrium fuit, optimo Præſuli cauſa tandem mœroris, & apud Clauſtrales ingens diſputandi argumentum.

A ſummo Pontifice & Rege pacis ſequeſter renuntiatus in cauſa quorumdam Antiſtitum, de quorum doctrina fervebant ſtudia plurimorum, de conſenſu partium & omnium plauſu nodum in ſcirpo quæri palam oſtendit. Ineunte Sept. anni 1658. formulam ſubſcriptionis à prima Sede ad inſtantiam Chriſtianiſſimi Regis decretam & in Comitiis generalibus Cleri Gallicani delineatam & promulgatam, ſubſignavit in generali Synodo, poſt quem omnes utriuſque Cleri Senonenſis ſubſcripſêre: cautum volens pontificio Diplomati pro condemnatione quinque propoſitionum à ſummis Pontificibus Innocent. X. & Alexandro VII. facta.

Par ei erga ſubditos pro morum reformatione zelus, ut liquet ex editis à ſe Conſtitutionibus: par pro cultu religionis & ſacrorum reverentiâ devotio, quam perhibet Proceſſionale Senonenſe anni 1661. ejus ſtudio accuratum, & typis excuſum. Teſtis etiam donarium illud inſigne penſilis um-

Cc

Digitized by Google

D. O. M.

Hoc Cippo includitur ardens
Charitate Chriſti cor magni Archiepiſcopi Senonenſis
LUDOVICI HENRICI DE GONDRIN
Hujus Monaſterii Abbatis.
Viſcera ejus miſericordiâ in pauperes toties commota
Hîc quoque requieſcunt.
Oſſa jacent in Eccleſia Metropolitana Senonenſi,
Expectantia reſurrectionem,
Donec ſol convertatur in tenebras & luna in ſanguinem,
Antequam veniat dies Domini magnus & terribilis.
Obiit xij. Kal. Octobris M. DC. LXXIV.

Altero voluit epicedio parentales umbras celebrare idem clariſſimus Decanus hunc in modum.

D. O. M.

LUDOVICUS HENRICUS DE GONRIN
Senonenſis Archiepiſcopus
Quintus & centeſimus,
Galliarum & Germaniæ Primas,
Celebratâ per orbem magni nominis famâ,
Expletâque ſpiritu Conſilii & fortitudinis
Quatuor & quinquaginta annorum vitâ,
Hic dormiens, ſilet ſomnoque ſuo requieſcit
Cum Regibus & Conſulibus terræ,
Qui ædificant ſibi ſolitudines.
Rexit Eccleſiam Senonenſem annos 29. *
Obiit xij. Kal. Oct. M. DC. LXXIV.

* Vix tamen alterum menſem explevit anni ſuæ Sedis vigeſimi noni, dictus Senonenſis Antiſtes à morte tantùm Octavii qui deceſſit 26. Julii 1646. Ille verò 19. Septembris anni 1674.

Pene exciderat velociter ſcribenti ſinceræ pœnitentiæ & Chriſtianæ pietatis monumentum, quod me docuit teſtis oculatus & omni exceptione major idem D. Boileau, apud quem etiam religioſiùs hærent illa domandæ carnis inſtrumenta, quibus

Digitized by Google

in ſe frequentiùs & immodicè ſæviit celeberrimus Præſul. Furtim ea ſubducebat ſuorum aſpectibus cùm in arcula ſibi familiari & ad quoſdam uſus ſecretiſſimâ, cui poſt mortem Regius prætor ſigillum appoſuerat, reperta ſunt; nec eorum uſum negavêre qui ſibi erant ab intimis conſcientiæ. Flagellum eſt è pluribus funiculis & nodis aſperum, & cilicium è pilis equorum reticulatum, quo ſub bombycina ſpectantium oculos fallebat. Nemini non notum extremo vitæ ſeptennio nihil eum penè naturæ conceſſiſſe, ætatis planxiſſe primordia, & in caſtris Chriſtianæ militiæ durum militem meruiſſe. Lectus impluinis & ſtoreâ ſtratus, ut vidimus; menſa frugalis, & cùm ſolus pie jejuna: ſeceſſus quotidianus per tres horas jugi cœleſtium meditationi, aut ſacro precum pervigilio, vel caſtigando corpori ſacer, prima fuère ejus pœnitentiæ rudimenta: poſt quæ majoribus ad vitæ ſanctimoniam incrementis auctior, ſuam in Domino ſalutem maturavit.

106. JOHANNES DE MONTPEZAT DE CARBON. Parentes habuit antiquitate & nobilitate generis præcipuos: armorum præfecturâ & gloria militari clariſſimos, pietate in Deum ſingulari, & Regum amicitiâ inſignes. Nec inclitæ familiæ decora tacent Abbatiæ Boni-fontis in Diœceſi Convenenſi monumenta; quam anno 1136. à fundamentis excitarunt cum pingui penu Flandrenus de Montpezat & Bernardus filius ejus. Regnante Franciſco primo Francorum Rege, Johannes de Montpezat hujus Pontificis tritavus, Regis Navarræ copiis omnibus præfectus fuit. Avus in obſidione Caleti anni 1596. irrumpente ſupra murum Hiſpano intrepidus ſtetit, manus cum hoſte penè ſolus conſeruit, nec inultus glorioſè occubuit. Pari fato nec diſſimili armorum pompâ pater ejus Johannes Antonius commiſſo ad Montem-Albanum prælio, Ducis Mainii, cujus privignus erat, copiarum primipilus & in acie medius extinctus eſt.

Nobiliori militiæ & Clericali, cujus ſibi à puero indoles fuerat, nomen dedit Johannes, & animum aris ſua ſponte devotum, humanioribus ſacriſque literis excoluit; Philoſophicis & Theologicis exercitationibus publicis ipſe ſibi paranymphus & encomiaſtes. Quibus erat à natura & ingenii facilitate dotibus inſtructus gradum ſibi fecit ad aulam, nullis fortunæ lenociniis delinitus aut gratiarum avidus quæ Regiæ majeſtatis clientes & bene meritos vix fugiunt; ſed ſola propenſione animi in præſtantiſſimum Regem, ſuorum delicium ut & orbis miraculum.

Digitized by Google

Nuſquam enim ambitioni aut cupiditati ſtuduit, à qua ſua ſponte declivis tandiu latuit, quandiu ſuæ famam virtutis inhibere potuit. Verùm à Duce d'Eſpernon, tunc rerum potente, cujus propinquus erat, Regi proditus, pluribus apud ſuos in Septimania agitandis negotiis, pacique ejus nomine populis dandæ præficitur. Ibi à D. de Marca Antiſtite Tholoſano nobiliter exceptus, brevi ſe talem præbuit apud eum, (quem totius provinciæ & Comitiorum cura ſpectabat,) eâ quâ ſemper maximus audiit apud omnes in rebus agendis animi ſagacitate & inviolatâ ſecreti religione, ut frequentioribus apud Regem & à Rege legationibus functus, ſtrenuè miniſtrarit. Hînc Cardinali Mazarino, qui tum Regni Atlas, egregiè notus, ab eo ceu novus Alcides ſibi ſufficitur; ſed ita ſecretis negotiationibus ex induſtria D. de Montpezat, ne partem gloriæ, ut ſolicitudinis ſibi videretur adſciviſſe; ut exceptâ Reginæ matris & eorum qui ei ab intimis erant, conſcientiâ, neminem ſibi fecerit curarum conſcium & conſortem. Atrox tùm rerum facies in Gallia, anno præſertim 1650. nec aulæ tuta videbatur Comitiorum Occitanæ Provinciæ convocatio. Sed ad ea regiis codicillis legatus Johannes ea prudentiæ laude animos flexit, ut Regiæ majeſtati, Cleri decori & utilitatibus, populorum paci omnes conſenſerint. Pari felicitate ſtudia promovit omnium in Comitiis generalibus Cleri anni 1655. (arduum tunc dierum negotium) quibus præſedit illuſtriſſ. Henricus de Gondrin Senonenſ. Archiepiſcopus, & à ſecretis fuit Johannes, ubi de cunctis optime meritus; inſigniter tamen benevolum in ſe ſenſit Regis animum, qui præter Abbatiam du Mas d'Azil, (cui quaſdam alias ſuperaddidit Rex in bene merentes ſemper munificus) novo nobilioris gratiæ præludio eum ſancti Papuli Pontificali Cathedra donavit. Tum primatiali ſolio Bituricenſi 1664. Joſepho germano fratre (qui poſtea Tholoſanus Antiſtes) ei ſuccedente in Eccleſia ſancti Papuli. In utraque ſede boni paſtoris officio optimè functus, vel dum privatorum, aut publicis rebus impiger incubuit, cùm in ſacris, tum in politicis conceſſibus quibus frequens præfuit aut adfuit, eam ſibi candidæ mentis, animique in ſingulorum vota penè ad miraculum effuſi laudem promeruit, ut hoc unum ad gloriæ cumulum & nominis famam ſuffeciſſe videatur.

Apud Bituricas menſe Auguſto anni 1665. votis omnium exceptus, ingens ſui deſiderium Clero civibuſque diu reliquit. Clericorum collegia, Monialium ſacros receſſus & ſingulas clau-

Digitized by Google

ſtralium domos ſtatim inviſit, & quæ pacis erant, obſervantiæ regularis, & divini potiſſimùm cultûs ſtrenuè navavit. Urbi primariæ & cæteris intrà Diœceſin conſtitutis eâ quâ ſemper apud Regem gratiâ prævaluit, ſæpe ſuccurrit. Orthodoxæ fidei propagandæ & hæreticis ad avitam religionem reducendis, moribus reformandis, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſuis ſtatutis Synodalibus ſarciendæ totum ſe dedit: ſive per Miſſionarios ſpectabili pietate & doctrinâ inſignes quaquâ verſum diſperſos; maximè per patres Societatis Jeſu, quibus ſpeciali ſacramento ſemper adhæſit. Illa præ ceteris inſignior Miſſio fuit, quam in majori templo per ſolidum menſem & inſuper celebrandam voluit; cujus concionibus per ſingulos dies iteratis ſemper interfuit, & intrà triduum hominum viginti millia ſacratiſſimo ChriſtiDomini corpore ſuis manibus pavit. SeminariumClericorum præter omnium ſpem inſtituit, nec jejunè providit: donec laudabilibus cœptis ſummam manum admovit vir illuſtriſſimus D. Phelipeaux de la Vrilliere, quem tanto paſtori digniſſimum ſucceſſorem, altero ro medio, nominavit Rex Chriſtianiſſimus, ſub cujus præſtantiſſimi Prælati regimine floret Eccleſia primatialis, nec minori patrocinio tuta civitas Bituricenſis.

Johanni de Montpezat ad maxima nato majoris adhuc negogotii moles incubuit. Archiepiſcopalis menſæ Bituricenſis proventus pro dignitate ſedis modicus cenſebatur. Putavit vir induſtrius neutri incommodam fore compenſationem, ſi ad beneplacitum Romani Pontificis & Regis Patriarchalis Eccleſia quaſdam ſuffraganeas Sedes cederet Albigenſi, ut in Metropolitanam evaderet: hæc verò Bituricenſis penum ad quindecim mille libras Turon. annui reditus augeret. Tam arduo operi finiendo ſolus admovendus fuit qui incœperat Johannes Montpezatius, & optatum finem res conſecuta eſt. Anno 1673. deſinente, quo obiit R. D. D. Fuquetius Narbonenſis Archiepiſcopus placuit Regi, ut defuncti locum tranſiret Emin. Cardin. Bonzius Præſul Tholoſanus, & ei cedenti ſufficeretur noſter hic Bituricenſis ex regia ſchedula anni 1674. menſe Maio, cunctis apud Bituricas mœrentibus, nemine Tholoſatum non lætante.

Verùm rebus humanis ſubducto morte feſtinâ Illuſtriſſ. D. de Gondrin Senonenſi Primate 19. Sept. ejuſdem anni 1674. maximo Regi charior in dies factus Johannes, & ejus opinione proprioque merito multùm inſignis novis ab eo Codicillis Romæque gratiſſimis ad primatiales Senonum infulas evocatur ſub finem

Digitized by Google

ejuſdem anni, cum hac exiſtimationis & amoris teſſerâ, quam publicam eſſe voluit tantus Princeps : *Mihi quidem commodus erat tuus apud Tholoſates Pontificatus, ſed magis Eccleſiæ profuturus erit Senonenſis.* Nondum Pontificio diplomate munitus, ſed tantum Regio, in Comitiis generalibus Cleri anni 1675. Præſes eligitur. Quibus finitis, novis apud Senonas encæniis, & ſolemni Miſſæ ſacrificio die 19. Octob. SS. Saviano & Potentiano primis Senonum Apoſtolis, Martyribus & Epiſcopis ſacrâ à ſe celebrato, inauguratur. Anno ſequenti generalem Synodum habuit, in qua peroravit mirâ dicendi ſuavitate & omnium plauſu : & ut erat ingenitâ bonitate facilis, nullo tamen Eccleſiaſticæ diſciplinæ diſpendio quam impenſiùs promovit, omnium animos, etiam pacis oſores ſibi conciliavit.

Anno proximè vertente, celeberrimam Senonis Miſſione mhabuit in qua ſummâ vigilantiâ & ſtudio pertinaci uſuris, inimicitiis, comeſſationibus & impudicitiis ſic bellum indixit ; ut non alibi pœnitentia major : par in cæteris urbibus ſuæ Diœceſis fructus eo procurante: pares adverſus vitia & hæreſes victoriæ : nec ibi minor tanti Pontificis zelus & labor in adminiſtratione Sacramentorum, licet jam caducis ſenio viribus & ægrâ valetudine ; ita ut in numerato ſit eum tunc dierum duodecim hominum millia Montiſargi, & fere totidem Meloduni ſuis manibus conſignaſſe, & ferè totidem in ipſis nonnumquam ſuburbanis promœriis pro templorum anguſtiâ & ingenti numero conſignandorum. Si lecto decumbens ex arthritide aut vitio ſedis oneri tanto ſibique par eſſe non poſſet, collegas habuit ſui muneris adminiſtros, quibus animo præſens paſtoralis ſolicitudinis incentiva ſuis literis admovebat. Nec illud tacendum quod in Miſſione Stampenſi quæ Senonas uſque peragravit, urbanorum & plebeiorum ſexaginta millia numerentur ſacro chriſmate munitorum.

Illud ſibi laudum cumulus fuit priuſquam cœlis vitæ paſtoralis & morum probitate ſpectabilis præmia referret, Regem Senonis excepiſſe gratulatum ſibi venientem hoc epiphonemate, *parem ibi ſuis votis ſe Præſulem inveniſſe.* Tum ultimam deceſſoris ſui cœptis manum admovit, quorum propenſus ad utilitatem Eccleſiæ animus, Seminarii Senonenſis inſtitutionem impenſiùs flagitabat. Gondrini vota ſuis ſtudiis cumulavit Johannes de Carbon, accitis è ſuburbanâ S. Lazari Pariſienſi familiâ digniſſimis operariis, quorum curâ & piis exemplis clericalis juventus ad Eccleſiaſtica munia ritè peragenda jugiter eruditur. Palatium etiam Archie-

Digitized by Google

piſcopale novis ædificiis, ampliori pomœrio & adventitiis aquis decoravit. Par ei erga Patres Ignatianos & Seminariſtas ſuos pro laxandis ſeptorum ſpatiis ſtudium. Sed quâ potiſſimùm enituit & cum qua feliciſſimè deſiit, jugis fuit & pervigil reconciliandorum animorum induſtria; quam nobili colophone commendatam voluit cum diſſidentibus duabus religioſis familiis, quarum Benedictina bono publico ſtudebat, patrem ſe magis exhibuit quàm judicem.

Tot clarus trophæis digniſſimus Præſul, jam cœlo maturus, in oſculo Domini & ejus Viatico munitus mortalitatem exuit quinta Novembris 1685. Cujus corpus in Cœnobitica ſanctæ Columbæ Baſilica Senonenſi (cui jugi precum pervigilio parentarunt ſacri illius myſtæ) depoſitum 20. ejuſdem menſis, poſtridie ab iiſdem Cœnobitis ad fines uſque ſui Territorii longo celebrique funere præſentatum Metropolitano Collegio, Clero, Magiſtratibus & plebe coram, in Eccleſia ſua prope Cancellarium du Prat humatum fuit. Obiit octogenario major, ſupremis ſuis codicillis Canonicorum ſuorum amantiſſime, pauperum providè, domeſticorum æquiſſimè, & regularium Mendicantium piiſſime nec jejunè memor. Non ignobilis poëta Diſtychon iſtud ingenioſè conſcripſit alludens ad Gentilitium hujus Pontificis ſtemma:

Crux erecta pium, fortem leo, libraque juſtum
æqua probat; minor his dotibus orbis erit.

Piis ejus manibus nobili encomio parentavit clariſſimus vir D. Paraſſaï Paſtor Senonenſis ad S. Petrum de Orbe.

HARDUINUS FORTIN DE LA HOGUETTE. Hic ſpeciali dono prodiit ſummo Eccleſiæ bono, & piâ Regis in Senones providentiâ huic Metropolitanæ & Primatiali Sedi nominatus. Vitæ mirabilis decora proſequi vetat ipſa vita, ne vetante modeſtiâ vivus audiat quæ jam ſibi famam immortalem peperêre. Dura tamen ſcribentium illa conditio, viri celeberrimi & ſuarum laudum conſcii mortem opperiri, quaſi puderet eum laudanda feciſſe, aut in debitas laudes irrepere poſſet mendacii fucus. Juſſus tamen ipſe non loqui, & ea reticere, in quorum æternitatem omnia conſentiunt, ea ſolùm promere poſſum quæ publica clamant Galliæ monumenta.

Ei ad gloriæ faſtigium enitenti, ſuorum utrinque parentum virtus illuxit, quos ſplendore generis illuſtres non minor ad avitæ

Digitized by Google

avitæ fortitudinis & pietatis exempla ſtimulus egit. Pater ſtrenuiſſimus Eques, & nobilioribus militiæ præfecturis, Rege frequentiùs & coram probante, perfunctus, non exoticam ſibi putavit laudem literarum, & iis à natura ſtudioque chariſmatibus felix fuit, ſive vim & acumen ingenii ſpectes, ſive probitatem judicii, & ſingularem in rebus divinis, politicis & humanis eruditionem, ut harum fœnore gratiarum ſibi nomen fecerit apud omnes. Ab eo Politices elementa prodiêre, & *Teſtamentum boni patris* plurium gentium linguis vulgatum, quo totam penè Europam ſui nominis fecit hæredem. Mater ſuis inclita dotibus nec germani ſui meritis impar, ejus inſuper fulgore micat; tanti eſt ſororem eſſe nominatiſſimi viri Harduini de Perefixe Pariſienſis Archiepiſcopi, cujus ſalutaribus curis, eximiæ probitati, ſapientiæ ſingulari & eruditioni, quæ Sorbonæ publicis honoribus & totius Univerſitatis plauſu celebrata fuit, quidquid felicitatis habet Gallia & in auguſtiſſimo ſuo Principe Ludovico XIV. miratur, acceptum refert.

Sub tanto Præſule virtutibus & literis adolevit, donec omnium ſcientiarum encyclopediâ dives, pari ut avunculus primarii lycæi gratulatione Doctor Pariſienſis, & *Socius Sorbonicus* (quo titulo primus ex Senonum Antiſtitibus gaudet) inauguratur. Hoc Magiſterii apice ſublimis, agendis totius Cleri Gallicani negotiis præficitur anno 1670. Quod munus laudabiliter functus anno 1675. menſ. Sextili Epiſcopus Briocenſis nominatur à Chriſtianiſſimo Rege, & calendis Maii proximè ſequentis conſecratur. Vix elapſo biennio in Armoricæ provinciæ generali Conventu præſedit, & cauſam communem ſummo omnium plauſu prudentiſſimus egit; ibidem delectus trium Ordinum ſuffragiis, qui Regi codicillos offerret, & publica vota coram peroraret. Sapientiam Harduini & dicendi gratiam Rex demiratus, ſuo probatam voluit elogio, cæterique regii ſanguinis Proceres, coram quibus & ſingulis pari felicitate diſſeruit. Quinquennio poſt infulas Briocenſes fit Pictavienſis Epiſcopus 13. Januar. ſanctiſſimo illius Sedis Antiſtiti ſacrâ, anno 1680. tantùm non jubente ſapientiſſimo Rege, qui domandæ hæreſi quæ in illis partibus fœdè graſſabatur, probè noverat Briocenſem Præſulem validiſſimum fore. Nec fefellit de tanto Duce concepta fides. Primus enim inter lectiſſimos Eccleſiæ pugiles hujus ætatis in arenam deſcendit, prim vicit; & mirum illud intra quatuor menſes duodecim mil-

Digitized by Google

lia ſegregum ſapuiſſe ſincero corde nec lubricâ fide. Nec minùs ſtupendum illud (ſi non ubique zelus & induſtria piiſſimi Præſulis prævalerent) priuſquàm Pictavis Senonas raperetur, ſexaginta prope millia gregis aberrantis à Calvino defeciſſe.

Talis ac tantus orthodoxæ religionis proventus debebatur Harduini indefeſſo labori, aſſiduo precum pervigilio, piis exhortationibus ſumma eruditione & dicendi gratiâ conditis, ſecretis etiam & arte quæſitis corporis afflictationibus, & famæ præſertim integerrimæ vitæ, quam apud omnes ſinceriſſimam habet. Verùm his laborioſis Apoſtolicæ vitæ muniis ferebatur ad extrema, valetudini ſuæ nullibi cavens; cùm Rex in meritiſſimum Pontificem ſua ſponte propenſus, eum ad quietiorem & nobiliorem ſitum in ampliſſima Senon. Metropoli & Primatiali Galliar.& Germaniæ ſede reſidere voluit ſtatim ab obitu deceſſoris ſui, qui deſiit ab humanis quintâ Novembris anni 1685. Digna quidem munificentiſſimo Principe tantis laboribus merces; at dignior ille exhibendæ gratiæ modus, quem ipſo munere præſtantiorem ſemper habebit Harduinus. Quin tot tantiſque concurrentibus Cleri Gallicani Proceribus, qui Sedem illam laudabiliter implerent, iterum ac tertiò prævaluit in animo Regis noſter hic Senonenſis & cum ea ſinceriſſimæ exiſtimationis pompa, quæ tanti ſemper erit, quanti eſt à ſapientiſſimo Rege ſponte laudari. Felicia Senonum fata ſub eo paſtore, nec minùs propitia Regis vota, quibus gratæ urbi indulſit.

Senonis exceptus eſt totius urbis jubilo, ſummaque Cleri & populi gratulatione; & necdum primæ Sedis Diplomate munitum (ſæviente temporis fato) votis omnium & unanimi ſacri Conſeſſûs nominatione ad palatii Senonenſis limina ſalutavit cum aliis Miſtis ejuſdem Capituli digniſſimus Præſes & Decanus D. Jacobus Boileau; cujus & cæterorum ſuffragia in meritiſſimum Antiſtitem pro totius Diœceſis regimine ſtatim convolarunt.

Mox more majorum ſepulchra BB. Martyrum in Cœnobitica Baſilica S. Petri Vivi ſupplex & venerabundus adiit, ibi pronus oravit, & ad vividum illum & ſpirantem ſub ſacris oſſibus & cineribus primi Præſulis & Martyris Saviniani, Apoſtolicæ vitæ fomitem, dotes illas ambivit, quibus tanti Paſtoris audiat digniſſimus hæres. Hæreditariam ſibi Pontificiam illam domum vidit, Pontificum Senonenſium ad quadraginta

Digitized by Google

& ampliùs, ſacris oſſibus & cineribus adhuc tumentem; eorum natalitiis & Sedis encæniis illuſtrem (& quod ſupereminet) plurium educatione & ſanctimoniâ celeberrimam , cum quibus Cleri Stephanienſis pars melior in pietate crevit, & cum literis, quæ ibi publicè docebantur, adolevit. Ut apud Pictavos numeroſâ fuit in Chriſto prole fœcundus, tot reductis ad caulas dominici gregis ovibus ; non minor ei apud Senones avitæ fidei tenaciſſimos , Religionis & virtutum proventus accreſcit, ſive bellum ſpectes, quod vitiis indicit ; ſive diſſidentium pacem , cui penè ſupplex incumbit ; ſive ſacrorum majeſtatem & decus, cui totus ſui frequentiâ in majori Templo, Clero mirante, aut Apoſtolicis per totam Diœceſin excurſibus majores curas impendit ; ſive domeſticum penu quotidianis in pauperes largitionibus effuſum ; ſive tandem nobiliſſimam illam mentis indolem quâ ſe votis omnium benignum exhibet & patronum.

Hæc & plura quæ juſſus taceo , Primatis hujus digniſſima geſta , famam ejus provehent ad multas ætates. Faxit Deus ut æqua tantæ virtutis ſenio vita ſpem publicam augeat & commune bonum, nec diu Roma felicitatem Galliæ remoretur.

Digitized by Google

BREVIS APOLOGIA PRO LEOTHERICO ARCHIEPISCOPO SENONENSI.

MIRANTUR omnes, nec pauci ſuccenſent celeberrimum ſcriptorem & tot titulis in Eccleſia commendandum Baronium ad annum 1004. & ſequentes, nullo duce niſi Helgaldo ſcriptore vitæ Roberti pii Francorum Regis, perperam intellecto, nec vel erroris (de quo quæſtio) ſpeciem exhibente, illuſtriſſimo præſuli notam hæreſeos inuſſiſſe, quaſi Berengario ceteriſque de Sacramento Chriſti corporis pravè ſentientibus facem prætulerit. Baronii verba ſunt iſta aliis ab Helgaldo conſcriptis » ſtatim ſubjecta [Audiſti, Lector, ſimul cum pietate Regis, etiam » ſibilum veneneſi ſerpentis in Leutherico Archiepiſcopo Senonen- » ſi. Ad hunc extant complures Fulberti Epiſcopi Carnotenſis Epi- » ſtolæ quibus eum ſæpe contigerit diverſis ex cauſis redargui (*nul-* » *la de Sacramento Chriſti corporis fit in eis reprehenſio.*) Jam viperini » fœtus è portis inferi, tanquam è matris utero enixi, in damnum » Eccleſiæ emittebantur, qui ſe ſpiris ſinuoſis inferebant in ſancta; » ut Sanctum ſanctorum, Sacramentum Sacramentorum, ſi poſſent, » auferrent ab ea. Quod enim Leuthericus legitur inſuſurrare cœ- » piſſe, jam ut audiſti, rumor ille tantæ blaſphemiæ increbreſce- » bat in ſæculo. Et ſi tacuit ipſe reprehenſus à Rege, timore pœ- » næ, ne irâ Regis caderet ab ampliſſima dignitate & careret Ca- » thedrâ; haud ſerpens rumor ille eſt omnino repreſſus, ſed paula- » tim in dies creſcens in manifeſtam tandem erupit hæreſim ſub » patrocinio infeliciſſimi Berengarii] cujus prodromum fuiſſe Leuthericum noſtrum, videtur inſinuare Baronius poſt ibidem recitata ex Adelmanno Brixienſi Epiſcopo verba, ſui ſtomachi bilem » in Senonenſem injurioſè profundens: [Hæc Adelmannus (*de* » *Berengario ſcribens*) à nobis hîc poſita ad inſinuandum tyrocinium » Berengarii, poſtea infandam hæreſim promulgantis; quam pri- » mùm audiſti à Rege Chriſtianiſſimo condemnatam in perditiſſi-

Digitized by Google

mo Leuterico Archiepiſcopo Senonenſi.]

Non potuit durius iraſci Baronius, nec cum majori veritatis injuria viríque ſuo ſæculo eximii, ſi Helgaldi verba (quem unicum habet) hîc ſubjiciantur, quibus realis præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia præſupponitur potius quàm infirmetur. Solam enim Robertus Rex culpare videtur indecentiam uſus, quem Leotherico familiarem eſſe volebant, in rebus dubiis & gravioris momenti, de quibus aliundè facilis haberi non poſſet notitia, examen & probationem per ſanctiſſimum Chriſti corpus in Euchariſtia admittendi, & in forma ſolita verborum, cùm ſacra Communio porrigebatur, quædam alia ſuperaddenti quæ magis cultum Euchariſtiæ debitum commendent. Sed audiatur Helgaldus ab ipſo Cæſare relatus [Præſuli cuidam Leutherico Senon. Archiepiſcopo ſcilicet, de Domino non bene ſentienti & quærenti pro quibuſdam cauſis probationem in corpore Domini noſtri Jeſu Chriſti, indignè tulit Rex amator bonitatis, & ſcripſit ei his verbis: Cùm ſit tibi nomen ſcientiæ, & non luceat in te lumen ſapientiæ, miror qua ratione quæſieris pro tuis iniquiſſimis imperiis & pro infeſto odio quod erga Dei ſervos habes, examinationem in Corpore & Sanguine Domini: & cùm hoc ſit quod à dante Sacerdote dicitur, *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit tibi ſalus animæ & corporis*; cur tu temerario ore & polluto dicas, *ſi dignus es, accipe*, cùm ſit nullus qui habeatur dignus? Cur Divinitati attribuis ærumnas corporis, & infirmum doloris humani divinæ connectis naturæ? Jurans Domini fidem Princeps Dei, privaberis, inquit, honore Pontificis niſi ab his reſipueris, & damnaberis cum his qui dixerunt Domino *Recede à nobis*, & non communicabis his quibus dicitur *Appropinquate Deo & appropinquabit vobis*.

His verbis Præſul bene correctus, à Rege pio & bono ſapienter inſtructus, quievit, obmutuit, & ſiluit à dogmate perverſo, quod erat contrarium omni bono, & jam creſcebat in ſæculo. In ſinu matris Eccleſiæ collocatus iſte Dei ſervus, ſcilicet Robertus Rex factus eſt Dominici Corporis & Sanguinis vaſorumque ejus cuſtos fortiſſimus, ad unguem ita perordinans cuncta, quaſi videretur Deus ſuſcipi, non ut in alterius ſed in propria ſanctæ Majeſtatis gloria. Hæc ejus devotio, hæc erat fortis proviſio, ut corde mundo & veſtitu candido Deus immolaretur pro totius mundi piaculo.]

Hæc Baronius, quæ pietatem quidem & conficiendæ ac adminiſtrandæ Euchariſtiæ religionem ſpectant; nullam verò de Sacra-

Digitized by Google

ne præceps in Leothericum Senonenſem Baronii calamus totus audiatur, cui ſors Lanfranci ſic injurioſè proſciſſi mitiora ſuggerere debuerat.

Si vel minimam patrocinii umbram in Leotherico Berengarius advertiſſet, num propitiam ſibi tanti Præſulis auctoritatem ſiluiſſet? Nuſquam eum ſibi patronum ad ſcivit, nec in Conciliis Romæ & alibi habitis ſub Leone, Victore, Nicolao, Alexandro & Gregorio: nec qui ſteterunt à partibus ejus in Synodis Vercellenſi, Brionenſi, Turonenſi & Pariſienſi vel meminêre Leotherici, cujus nomine, quod tum ubique Galliarum ſummæ videbatur auctoritatis, res Berengariana plurimum invaluiſſet. Nulla item mentio Leotherici ab orbita fidei (ſi Baronius audiatur) ſic perperam deflectentis, apud eos qui adverſus Berengarium ex profeſſo ſcripſêre, non Lanfrancum, non Guitmundum (aliis Chriſtinum) non Durandum Troarnenſem, non Theoduinum Henrico I. Galliarum Regi ſcribentem, quem male quidam Durandum nominant; non Aſcelinum, nec Ademarum, & Hugonem Lingonenſ. Epiſcopum, non Algerum &c. Nec etiam apud Hiſtoricos coætaneos, aut recentiores (quorum quidem mihi copia fuit librorum ſatis egeno) quibus incumbebat latitantem in parentum lumbis, ſi eo ſæculo Berengario priores habuit, nobis detegere hæreſim illam & prodromos mendacii. Taceo quod ipſe Leothericus infenſiſſimos hoſtes habuit, & inſignem præ aliis Rainardum Comitem Senonicum, apud quos ei impunè non fuiſſet, ſi in re graviſſimi momenti tam fœdè peccaſſet: nec peperciſſent plures de Capitulo Senonenſi, quibus non arridebat, & cui pallii candidato moras injecerant in Curia Romana. Quid quod Helgaldus ipſe, qui ſolus culpandum nobis objicit Leothericum, in Roberti ſui laudes mirè propenſus, & qui commodum ſibi putavit extollendo Regi lapſum illum Pontificis in quem pietatis ſuæ zelum acuit, illud tamen tacuit de vera Chriſti præſentia in Sacramento in controverſiam à Leotherico (ſi Baronio fides) adducta, ex quo poſt liberam Regis increpationem, fides illius erga præcipuum Chriſtianæ Religionis myſterium toto orbe ſpectatiſſima fuiſſet. At nihil tantæ prævaricationis innuit Helgaldus, ut jam monuimus: &, quod mireris, ea ſolùm Regem improbaſſe meminit, quantum ad Euchariſtiam ſpectat, unde non pauci veritatis illius momenta deſumunt.

Præterea memorat Glaber Rodulphus Cluniacenſis Monachus varia tum ætatis & ſedente Senonis Leotherico celebrata fuiſſe

autem ipſi hæretici ex melioribus ipſius civitatis Clericis. Com- «
muni verò conſenſu & voluntate omnium convicti omnes per- «
peſſi ſunt ignis incendium.] Aderat eidem Synodo S. Theodo- «
ricus Epiſcopus Aurelianenſis, Monachus S. Petri Vivi. Si de Sacramento Corporis & Sanguinis Chriſti minùs bene ſenſiſſet Leothericus, cui proinde neceſſaria fuerit Roberti Regis objurgatio, ſic volente Baronio; nec poſtulabat Eccleſiæ decus, nec ipſius Leotherici pudor, nec in Roberto integerrima fides, nec Epiſcopi conſenſiſſent Præſulem in ſuſpicionem adductum, & à Rege caſtigatum, ei Synodo præſidere, in qua de Sacramento Domini quæſtio verſabatur.

Quod ſi nondum Regis illa caſtigatio præceſſiſſet, ſed jam fidei deliquio laboraret Leothericus; cum plerumque ſit præceps novantium ardor, nec diu latere poſſit, præſertim in Magnatibus, quæ ſemper erumpere tentat hæreſeos labes; nullus facilè concedet ignota manſiſſe Leotherici ſenſa in illo percelebri Conventu, in quo Rex præſens plures magni nominis Epiſcopos & Proceres adunarat; in quo Liſoius & Heribertus (al. *Stephanus*) inter Regis familiares præcipui ſuſpectæ fidei & religionis poſtulabantur & flammis proximè devovendi, quibus facillimum erat Metropolitani ſui fidei profeſſionem obteſtari, in quam conceſſiſſent, ſi fuiſſet illa ſibi propitia, & in quem videbatur tota refundi debere negotii moles: & tandem quod ipſe Rex catholicæ veritatis ſummè ſtudioſus nihil cum ſacris illis Proceribus prætermiſit, ut ad rei notitiam, auctorum & complicum perveniret, agente præſertim Guarino Bellovacenſi Epiſcopo emunctiſſimæ naris inquiſitore, & Areſaſto Normanniæ Comite in Aula Richardi inter primos inſigni, qui plurima hujus hæreſeos ſubodoratus, ei detegendæ & eliminandæ ſe totum impendit; quibus tamen & Patribus Concilii nulla unquam de Leotherico ſuſpicio innotuit. Studium Regis in indagatione veritatis memorat Glaber lib. 3. cap. 8. [Ut cognovit Rex Robertus, ut erat doctiſſi- «
mus & chriſtianus, triſtis ac mœrens nimiùm effectus, quo- «
niam & ruinam patriæ revera & animarum metuebat interi- «
tum: idcirco quantocius Aurelianum properans, convocatis «
plurimis Epiſcopis & Abbatibus, ac religioſis quibuſque laicis, «
acerrimè cœpit perſcrutari qui eſſent auctores hujus perverſi do- «
gmatis, vel qui parti illorum jam decepti conſentirent] At de «
Leotherico perpetuum apud omnes ſilentium, cui licet in Con- «

cilio præſidenti nullus indulgentiæ aut conniventiæ favor acceſſiſſet, ubi de cauſa fidei & ſumma rerum ageretur, & ſub religioſiſſimo Rege & orthodoxæ veritatis acerrimo vindice. Locus erat Areſalto Præſulem incuſandi, ſi Stephano & Liſoio faviſſet; cum eos coram Rege compellans, hæc verba notatu digna protulit, ut habent acta Concilii apud Labbeum tom. 9.
" Conc. pag. 841. [Veritatis magiſtros non erroris habere me
" putavi, dum conſtanter illam mihi doctrinam quam ſalutife-
" ram evangelizabatis, viderem vos docere atque pollicebamini
" pro pœnis inferendis & etiam pro morte toleranda numquam
" eam à vobis eſſe denegandam...... Docuiſtis equidem me nul-
" lam in Baptiſmo promereri veniam peccatorum, neque Chri-
" ſtum de Virgine eſſe natum, neque pro hominibus paſſum;
" neque verè ſepultum, neque à mortuis reſurrexiſſe; *neque pa-*
" *nem & vinum, quod ſuper altare manibus Sacerdotum, ſancti Spiri-*
" *tus operatione effici videtur Sacramentum converti poſſe in corpore &*
" *ſanguine Chriſti.*] Hic unus de præcipuis Aurelianenſium Cle-
" ricorum erroribus, ab Eccleſiæ ſenſu longè remotus, cui faviſſe Leothericum voluit Baronius, amanuenſibus ſuis plus æquo credulus. Dixi *notatu digna*; quibus palam fit hæreticos Aurelianenſes Berengario præiviſſe, non Leothericum, in quem tam nefandi dogmatis rudimenta rejicere non debuit Baronius, cui ad oculum & manum erant erroris prodromi & anteſignani, tali natalitio ſe celebrari ambientes Rege coram & Synodi Patribus, ut Acta perhibent, & quorum pervicaci fronte & impudentiſſima confeſſione non potuit apertiùs hæreſis illa demonſtrari, aſſeri, propugnari. Si de Leotherico paria retuliſſet Helgaldus, conſultiùs adhuc ſiluiſſet de eo doctiſſimus Annalium Scriptor, quem nullius labis infamiâ laborantem in illo Concilio præſediſſe ſcivit. Sed tam ab illius pravi dogmatis ſuſpicione liber extitit Præſul Senon. quàm ab illo pravo ſenſu longiùs abſunt Helgaldi verba, ut jam monuimus, & quæ aliorum æquè judicantium cenſuræ relinquimus.

Sic nobiſcum cenſet unus inſtar omnium doctiſſimus vir Dominus Arnauld Theologus Pariſienſis, qui libros edidit de Perpetuitate fidei Catholicæ pro præſentia reali corporis Chriſti Domini in SS. Euchariſtiæ Sacramento. Libro nono pagg. 904. & ſeqq. ubi de temporis epocha hæreſis Berengarianæ, non ſilet quoſdam, etiam inter Catholicos, parem cum Baronio de Leotherico Senonenſi ſenſum habuiſſe, ductos auctoritate

Helgaldi quam ſupra retulimus [*Quæ ſi penitius examinetur, & quæ ſola locum præbuit accuſationi*, inquit ille, *vanum eſſe cenſebitur & ſine ullo prorſus fundamento quod illam exhibere putant, nullis in ea verbis talem ſenſum inducentibus*] Et pag. ſequenti D. Claude Charentonii Miniſtrum *temeritatis* incuſat de Leotherico ſcripſiſſe *quod eadem quæ Berengarius ſcripſerit*; *nihil apud Helgaldum citra divinationem aſſecutus quod tale quid Lectorum animis ſubjicere poſſit, aut conjecturas merè vanas ſuadere.* Hæc ferè verbo tenus Alnaldus Latinè redditus.

Non inficiamur, ut monet Baronius, nonumquam à Fulberto Carnotenſi redargutum fuiſſe Leothericum; at in pluribus epiſtolis ad eum ſcriptis nulla de Sacramento Altaris reprehenſio legitur, aut quam ex illius verbis ſubodorari poſſit ſagaciſſimus lector. Tacuiſſet vir ſincerè probus & in Metropolitanum ſuum mirè propenſus, pietate in Deum & pro domo ejus totus ardens, & nemini parcens cùm pro veritate aut proximi ſalute cavendum eſſe, ſibi neceſſarium eſſe cenſebat? Conqueritur quidem nec ſemel de ordinationibus à Leotherico citra canonum præſcripta factis; virum plus æquo ſæcularibus negotiis implicitum damnat; nec moribus parcit animum non ita ſincerum præ ſe ferentibus. De Euchariſtico dogmate aut pravæ fidei rumoribus, ſi vel tantillum famâ laboraſſet, altum ubique ſilentium. Ex omnibus Fulberti literis ad Leothericum datis, quæ magis oculos Baronii perſtringere potuit, mihi videtur eſſe trigeſima prima, uti recenſentur tom. 3. Biblioth. Patrum editionis Pariſienſ. anni 1654. in qua ſperat Fulbertus Primatem ſuum ex familiari cum Odilone Cluniacenſi & Monachis ejus contubernio, *non ſolùm animæ periculum, ſed etiam hujus vitæ gloriam & honorem poſſe recuperare*: verùm ex epiſtolæ contextu quem hîc integrum damus, ſatis conſtat non de fide ſed de moribus monere Fulbertum; & ideo res Leotherici malè *proceſſiſſe*, quod in ordinationibus ſacris canonicè minùs egiſſet.

P*ATRI AC PRIMATI SVO LEOTHERICO.*

Fulbertus Epiſcopus.

Gratias ago vigilantiæ tuæ, quæ meæ ſimplicitati præmonitorium facit. Verè enim indigeo præmoneri multis propter

Digitized by Google

„ meæ indiſcretionis ſeu negligentiæ morbum. Verùm in hac cauſa
„ qua de nunc agis, id eſt ne quibuſlibet Epiſcopandis citò manus
„ imponam, opus non eſſe arbitror monitore. Nam & ſi tu in iſto
„ negotio conſilio meo, ut decuerat, hactenus uti voluiſſes, & ordo
„ noſter, *& tua res aliter proceſſiſſet*. Sed omitto præterita: de futu-
„ ris plurimum bonæ ſpei capio ex eo quod nunc cum ſanctis vi-
„ ris ſapientibus agis. Patrem noſtrum Odilonem loquor & aſſe-
„ clas ejus. Conſilio enim illorum ſpero te non ſolum animæ pe-
„ riculum evadere, ſed etiam hujus vitæ gloriam & honorem
„ poſſe recuperare. Vale memor mei, tibi in omnibus bonis obe-
„ dire & opitulari parati.]

Si mutaſſet in fide ſanctiſſimi Sacramenti Leothericus & contra communem Eccleſiæ intelligentiam minus bene ſenſiſſet, cur ad Monachos & Aſcetas eruditionis gratiâ remitteretur Præſul opinione ſui ſæculi Theologiæ ſcientiſſimus: magis tàm eminebant ſanctitatis quàm doctrinæ famâ Cluniacenſes Monachi ſub Odilone piiſſimo Patre; quamvis non diu poſt ſcientiarum omnium lycœum & armamentarium fuerit celeberrimum illud Cœnobium. Plures magni nominis viros & eruditione conſpicuos jam ferebat ætas illa: non cœcutiebant tot incliti Præſules; vigebant Synodi, oracula Patrum, ſcita Doctorum, & ipſa præſertim Romanæ Sedis armatura quæ doctrinæ ſimul & religionis ſemper palladium fuit, præter ſacræ Scripturæ & Traditionis ſufficientiſſimum penu, quibus hactenus ſtetit fides noſtra. Si tùm Leotherici menti affundenda forent certiſſima fidei lumina, ad hos fontes recurſus erat neceſſarius, non ad cellas Monachorum: ſed movendus ad majorem pietatem animus, à ſæculi curis abſtrahendus, ad fraternam charitatem accendendus (cujus nonnumqum debilia paſſus) & ceteris boni Paſtoris dotibus magis inſtruendus, Odilonis ſanctiſſimi viri contubernium, orationes & exempla Cluniacenſium poſtulabat. Iſthæc dicta ſunto ne ex poſtremis Epiſtolæ verbis quidquam inferatur nocivum fidei Præſulis Senonenſis.

Cæterum ſi quæ in commendationem Leotherici ſingulari laudum elogia congeſſit Fulbertus nec palpo nec blandus, hîc ſubjiciantur; quis non demiretur Baronium, cùm tanti meriti virum, *Archiepiſcopum perditiſſimum* nominat? Major admirationi locus eſt neminem hactenus inter Myſtas Senonenſes dicacem calamum repreſſiſſe, & pro celeberrimæ Metropoleos defenſione, quæ maculas & rugas neſcit, vindicem manum admoviſſe.

Digitized by Google

Quantum ad purgationem per Chriſti Domini corpus in Eucharistia, quam indictam à Leotherico conqueritur Rex Robertus, & in ejus gratiam Baronius; quis morem illius ætatis jure reprehendat, quem à ſummis Pontificibus & aliis notiſſimæ probitatis uſurpatum docent Hiſtorici? Habes apud Lambertum Schafnaburgenſem anno 1077. Gregorium VII. Papam Simoniæ crimen ſibi falſò objectum ab Henrico Imperatore, à ſe tali purgatione repuliſſe. [Abſoluto eo *Henrico* ab excommunicatione, Papa Miſſarum ſolemnia celebravit; confectaque ſacra oblatione Regem cum cætera quæ frequens aderat, multitudine, ad altare evocavit, præferenſque manu Corpus Dominicum: Ego, inquit, jampridem à te tuiſque fautoribus literas accepi quibus me inſimulabas Sedem Apoſtolicam per Simoniacam hæreſim occupaſſe, & licet multorum idoneorum certe teſtium adſtipulatione crimen refellere queam, ego tamen ne humano potius quam divino niti videar teſtimonio, ut ſatisfactionis compendio omnem omnibus ſcandali ſcrupulum de medio auferam, Ecce Corpus Dominicum quod ſumpturus ero, in experimentum mihi hodie fiat innocentiæ meæ, ut omnipotens Deus ſuo me hodie judicio vel abſolvat objecti criminis ſuſpicione, ſi innocens ſum: vel ſubitanea interimat morte, ſi reus. Hæc & alia, ut ſolemne eſt, præfatus verba terribilia quibus Deum cauſæ ſuæ æquiſſimum judicem & innocentiæ aſſertorem adeſſe precabatur, partem Dominici Corporis accepit & comedit.] Notat ad eumdem annum idem auctor ipſi Henrico Imperatori ſimilem purgationem ſuaſiſſe eumdem Gregorium, quam ille ſuæ conſcientiæ reus admittere noluit. Prius, anno ſcilicet 870, eam præſcripſerat Adrianus Papa Lothario Regi Lotharingiæ & cæteris cum eo perjurii reis, ut habet Regino ad annum 869. & Chronicon Reicherſpergenſis Monaſterii: qua prava Dominici Corporis perceptione eis non fuit impune. [Lotharius Rex Adriano vocatus Romam venit; qui cùm ab eodem Præſule interrogaretur ſi monita prædeceſſoris ſui Nicolai Papæ hactenus obſervaſſet, & jusjurandum cuſtodiſſet; & ille mentitus, omnia ſe obſervaſſe reſpondiſſet: & proceres & optimates qui cum eo venerant, eadem teſtificarentur, nec ulla perſona inveniretur, quæ contra Regem legitimum auderet certamen inire controverſiæ: Adrianus Papa dedit Regi & omnibus conſciis, qui accedebant, Communionem Corporis & Sanguinis Domini de manibus ſuis ad Miſſarum ſolemnia; ita ut

" ſi vera eſſent quæ ipſi teſtificati fuerant, proficeret eis in vitam
" æternam. Ita Lotharius Româ egreſſus, morbo corripitur, &
" Placentiam civitatem perveniens diem clauſit extremum ſexto
" Id. Aug. omnes etiam ſui qui auſu temerario communionem ſub
" tali conteſtatione porrectam ſumere præſumpſerunt, divino ju-
" dicio percuſſi ab hac luce ſubſtracti ſunt antequam ſubſequens
" anni rediret principium.]

" De aliis Præſulibus plurima ſuppetunt exempla in re paſſim uſitata. Apud Reginonem anno 941. tanquam reus læſæ majeſtatis accuſatus, *Publica ſe examinatione, perceptione Corporis & Sanguinis Domini coram populo in Eccleſia purgavit.* Et in Conc. Moguntino refert Albertus Stadenſis ad an. 1051. *Spirenſem Epiſcopum Sibiconem, cui adulterii crimen intendebatur, examinatione ſacrificii purgatum eſſe.* Parem de Imbricone Auguſtenſi Epiſcopo purgationem recitat Berthold. Conſtantienſ. ad an. 1077. & de Abrahamo Friſingenſi Antiſtite Ditmarus lib. 2. p. 25

De Preſbyteris ſufficiat cap. 21. Concilii Triburienſis quo Patres prohibentes ne Preſbyteri juramenti religione ſe purgent quod Laicis concedunt, volunt ut per Euchariſtiam ſeu Corporis Chriſti *conſecrationem*, ſe probent objecti criminis immunes. [Laicus per juramentum, ſi neceſſe ſit, ſe expurget; Pre-
" ſbyter verò vice juramenti per ſanctam conſecrationem inter-
" rogetur; quia Sacerdotes ex levi cauſa jurare non debent. Ma-
" nus enim per quam Corpus & Sanguis Domini conficitur, pol-
" luetur? Abſit.] Qui Canon altero Concilii Wormacienſis cap.
" 10. explicatur. [Si Epiſcopo aut Preſbytero cauſa criminalis
" hoc eſt homicidium, adulterium, furtum & maleficium impu-
" tatum fuerit; pro ſingulis Miſſam celebrare debet, & commu-
" nicare, & de ſingulis ſibi imputatis innocentem ſe oſtendere.]
" Nec prætereundum quod de Clerico criminis ſui conſcio ſcribit Glaber Rodulph. lib. 5. cap. 1. [Extitit quidam noſtro tempo-
" re in Clericali habitu; dum jure culparetur quodam crimine,
" contigit ut ſumeret audacter judicio examinis donum Euchari-
" ſtiæ, Calicis videlicet Sanguinis Chriſti: cui protinus per me-
" dium umbilici egredi viſa eſt pars candidiſſima quam ſumpſe-
" rat ejuſdem ſacrificii: dans proculdubio evidens indicium rea-
" tus ſe indigne percipientis. Illico vero confitens quod prius ne-
" gaverat, digne pœnituit.]

" De Monachis parem uſum ſtatuit idem Wormatienſe Concilium cap. 15. [Sæpe contingit ut in Monaſteriis furta perpetrentur, & qui hoc committant, ignorentur. Idcirco ſtatuimus

ut quando ipſi fratres de talibus ſe expurgare debuerint, Miſſa
ab Abbate celebretur, vel ab aliquo cui ipſe Abbas præceperit, «
præſentibus fratribus; & ſic expletâ Miſſâ omnes communicent «
in hæc verba: Corpus Domini ſit mihi ad probationem hodie.] «
Ægre forſitan audiſſet doctiſſimus Annalium ſcriptor morem «
hunc purgandi ſeſe per ſacram Communionem non tantum ad- «
miſſum, ſed probatum, commendatum & laudatum in Conci- «
liis; inter quæ præſtat audire quæ Synodus Æduenſis ſub Walo-
ne ſeu Gualone in cauſa Gyrfredi Monachi Flaviniacenſis nobis
legenda reliquit. Falſus rumor increbuerat eum cædis Adalga-
rii Præſulis Auguſtodunenſis auctorem eſſe: malevoli crimina-
bantur, ille negabat, & eliciendæ veritati ſic cautum fuit, ut le-
gitur apud Sirmondum poſt Conc. Remenſe anni 894. [Quod
tertio ſub teſtificatione S. Spiritus clamari jubentes, & nihil pror-
ſus veriſimile reperientes, ſanciverunt communi conſilio, ut
quia nec convictum nec etiam confeſſum experiebantur; tamen «
quia ventilatum & uſquam locorum erat divulgatum; ut ab om- «
ni ſuſpicione liberrimus redderetur in viciniori Synodo, quam «
omni reverentia dignus Gualo Antiſtes erga filios Eccleſiæ ce- «
lebraret, Corporis Chriſti & Sanguinis illo examine, quod ſolum «
verius probatur & terribilius, immò ſalubrius creditur, à fla- «
gitio divulgato publice expiaretur. Eo ſcilicet tenore eum prius «
teſtificantes, ut ſi in aliquo conſcius tanti piaculi foret, nullo «
modo ad ſacra ſumenda accederet; & ſi forte temerariè præſu- «
meret, cenſurâ S. Spiritus & auctoritate Apoſtolorum princi- «
pis ab ipſo vivifico redemptionis noſtræ pretio extorris fieret, «
& cum Juda Domini proditore damnatus, æternis irremediabi- «
liter ſuppliciis addiceretur. Sin verò immunem ſe eſſe per omnia «
pernoſceret, fiſus miſericordiæ Dei, tanti muneris donum ad «
ſalutis ſuæ remedium ſaluberrimè percipere non diffideret, quod «
omnibus uſquequaque ſatis fuit. Igitur paſtor piiſſimus miſeri- «
cordia motus, illius cauſa apud Flaviniacum Cœnobium & Ca- «
ſtrum publicum ſanctam Synodum propriæ Eccleſiæ colligens «
juxta ſtatuta ſupradictorum Antiſtitum, Miſſarum ſolemniis de- «
ductis omnibus in unum qui adfuêre in primori Eccleſia S. Pe- «
tri collectis, jamjam ſuprafatum præmonuit virum; ut ſicut ſibi «
ipſi conſcientia dictaret, ad ſacra ſumenda aut etiam refugien- «
da quoquo vellet modo ſeipſum præfigeret. Quique in nullo hæ- «
ſitans Deum ſibi & ipſum quod percepturus erat redemptionis «
pretium in teſtimonium & judicium invocans, fidiſſime omnibus «

Digitized by Google

„ in proſpectu poſitis, quæque ſupra fuerant præfixa, votis omni-
„ bus peregit.]

De Laicis tandem, ut & moris hujus antiquitatem probat egregie Gregorius Turonenſis lib. 10. cap. 8. occaſione Eulalii Comitis Arvernenſis qui matrem laqueo peremiſſe dicebatur: cui ſcelus neganti Cantinus ejuſdem civitatis Epiſcopus, pur-
„ gationem per vivificum Chriſti Sacramentum edixit. [Ait Epiſ-
„ copus, rumor populi parricidam te proclamat eſſe: ego verò
„ utrum perpetraveris hoc ſcelus, an non, ignoro; idcirco in Dei
„ hoc & B. Martyris Juliani ſtatuo judicio. Tu verò ſi idoneus es,
„ ut adſeris, accede propius, & ſume tibi Euchariſtiæ particulam,
„ atque impone ori tuo. Erit Deus inſpector conſcientiæ tuæ.
„ At ille acceptâ Euchariſtiâ communicans abſceſſit.] Proſtant alia plurima hujus ritûs exempla, quibus copioſè munitus Baronius, ut erat variâ eruditione locuples, vix potuit Floriacenſi illi Monacho (Helgaldum dico) præcipiti calamo favere, & communem tunc ætatis Eccleſiæ praxin, quaſi veritati Dominicæ carnis in altaris Sacramento ſuſcipiendæ noceret, damnare. Minus potuit in bene meritum & inſontem Senonum Antiſtitem quaſi Berengario præiverit, inſurgere, ob admiſſam ab eo per ſacræ Communionis uſum, purgationem, famâ, vel etiam vitâ de objectis criminibus periclitante; cùm nemini dubium eſſe poſſit ex ſuperius à nobis recenſitis ideo tantùm adhibitam eſſe in extremis methodum illam eliciendi veri, quòd de vera & ſubſtantiali Chriſti præſentia in ſanctiſſimo Sacramento nulla prorſus dubitatio foret; paventibus omnibus, & ipſis etiam præfractè ſceleratis *horrendum eſſe ſcientibus incidere in manus Dei viventis.*

Nec ob indecentiam praxis illius, ut inde ſuſpectæ in Euchariſtiam Religionis, multò minus fidei, damnare potuit Leothericum, cui præiverant ſummi Pontifices, Epiſcopi, Sacerdotes & Monachi ſua pietate conſpicui, ut vidimus: aut certe damnandi illi, totaque retrò patrum ætas, priuſquam Eccleſia novis poſtmodum ſtudiis agitata ſecus ſuaderet. Ut frequens adhuc erat ævo Roberti Regis illa per Chriſti Corpus examinatio (quamvis alias purgationum ſpecies tum temporis toleraret Eccleſia, ut aquæ calidæ, ignis candentis &c. in quas ſpeciali Lucubratione invehitur Agobardus Lugdunenſ. Epiſcop. tom. 9. Biblioth. Patrum editionis Pariſ. anni 1654. pag. 1297. & ſequent.) ægrè quis conjicere poterit ſcrupuli cauſam, quæ primùm Regem

Digitized by Google

gem illum & Helgaldum Hiſtoricum ſuum, tum Baronium exagitavit. Hic nullum Scriptoris illius verbis commentarium apponit, quo latentem ſenſum eruere poſſis, aut quo Leothericum, ut obelo dignum, proſcribas, & perditiſſimum putes cum Cæſare ſtomachante. Quid ſi Primas ille Senonenſis non paucos primæ dignitatis viros imitatus citra deliquium ſuæ fidei ſuæque in SS. Sacramentum religionis, chirographum ſuum ſanguine Chriſti, mixto atramento, munivifſet? Hoc enim piiſſimo horrore ſibi cautum eſſe voluit Theodorus Papa, Pyrrhum Conſtantinopolitanum Epiſcopum in Monothelitarum hæreſim relapſum, & ab Eccleſia damnatum [depoſiturus, ut ſcribit in Annalibus Græcorum Theophanes Byſantius an. 20. Heracl. [*Plenitudine convocata Eccleſiæ, ad ſepulchrum verticis Apoſtolorum acceſſit. & divino calice expoſtulato, ex vivifico Sanguine in atramentum ſtillavit, & ita propria manu depoſitionem Pyrrhi excommunicati fecit.* Non aliter Epiſcopi Photii condemnationi ſubſcribentes, referente Niceta in vita Ignatii. *Non ſimplici atramento, ſed (horrendum dictu) ut ab his qui id norunt accepi, ipſo Salvatoris ſanguine calamum tingentes.* Addit doctiſſimus Mabillonius pag. 170. operis ſui de *Re Diplomatica* in libro 2. [Idem omnino præſtitum eſt in concordia inita inter Carolum Calvum & Bernardum Comitem, ut tradit Odo Aribertus in fragmento quod vir cl. Stephanus Baluzius vulgavit in Notis ad Agobardum: *Pace itaque cum ſanguine Euchariſtico ſeparatim per Regem & Comitem firmatâ & obſignatâ, Bernardus Comes Tholoſanus ex Barcinonenſi Tholoſam venit, &c.* Nempe hoc ritu ſignificari volebant, eos ſanguinis Chriſti reos futuros, qui pactum adeo ſolemni & horrendo more peractum violaſſent.] Non alia Leotherico Senonenſi mens fuit quàm tremendo illo veræ religionis ſacramento & incolumi ejus veritate, in rebus gravioris momenti, ne ſua vel aliorum fama ſub calumniantium præſtigiis fucoque mendacii, aut res ablatæ perirent, verum elicere.

Quod item apud Helgaldum Leotherico Robertus Rex objicit his verbis: *Cur divinitati attribuis ærumnas corporis, & infirmum doloris humani divinæ connectis naturæ?* Nulla mihi de eorum ſenſu nec proba nec facilis conjectura; quibus nobis innuere videtur Rex aliàs non mediocriter doctus, ſe nondum aſſecutum fuiſſe quæ circa myſterium Incarnationis Chriſti, de communicatione idiomatum ſentit Eccleſia, & ſcribunt

Digitized by Google

Theologi ; quorum ſcientiſſimus ipſe Leothericus ea promere potuit, quæ quidquam negotii rudibus & imperitis forſan faceſſivêre, eo præſertim tempore quo Scholaſtica Theologia nondum emerſerat è cunis, ut in noſtris ad Robertum Pullum (qui 120. annis poſterior fuit) obſervationibus neceſſariò monuimus.

FINIS.

ERRATA DISSERTATIONIS.

PAginâ 12 lineâ 7, 150 lege 15. Ibid lin. 35. *volumus*, lege *volumen*. Pag. 45. lin. 5. 246. lege 346. Pag. 63. lin. 24. *delatus*, lege *dolatus* Pag 64. lin. 24. *ambibant*, lege *ambiebant*. Pag. 105. lin. 28. *Archiepiſc.* lege *Epiſcopus*. Pag. 112. lin. 27 *propapatione*, lege *propagatione*. Pag. 116. lin. 8. *De magna re*, lege *Magnate*. Pag. 128. lin. 20 *editionis*, lege *ditionis*. Pag. 140 lin. 15. *à quo*, lege *à qua*. Pag. 173. lin. ult. *cras*, lege *ſacras*. Pag. 211. lin. 21. *Γαγατίας*, lege *Γαλατίας*. Pag. 212. lin. 1. *ab*, lege *ad*. Pag. 219. lin. 17. poſt *fidei*, adde *primordia*. Pag. 232. lin. 22. *nec*, lege *&*. Pag. 233. lin. 30. *nec* l. *me*. Pag. 237. lin. 5. *ſenſuerim*, lege *ſenſerim*. Pag. 244 lin. 10. *Julii*, lege *Junii*. Pag. 261. lin. 21. *ex t.um*, lege *exilium* Pag. 292. lin. 23. *&*, lege *ex* Pag. 330. lin. 26. *indigens*, lege *ing ns*. Pag. 354. lin. 27. *pronus*, lege *promus*. Pag. 355. lin. 14. *Aurelianas*, lege *Aurelianos*. Pag. 358. lin. 36. poſt *orbis* adde *circulo*. Pag 368. lin. 20. *tribuit*, lege *tribui*.

ERRATA CATALOGI.

PAginâ 13. lineâ 37. *nonus*, lege *nomen*. pag. 28. lin. ultima *Haimberto*, lege *Daimberto*. Ibid. lin. 34. *primatiali*, lege *primatialis*. pag. 30. lin. 30. *enim*, lege *eum*. pag. 32. lin. 17. *ſpectatæ*, lege *ſpectate* pag. 34. lin 33. *munitum*, lege *mutilum*. Ibid *nonus*, lege *nomen*. pag. 47. lin. 29. *functaque*, lege *functumque*. pag. 68. lin. 10. ſic lege (non audita nec fortè ſciente alterâ.) pag. 80. lin. penult. *charitas*, lege *chartas*. pag. 88. lin. 15. *privilegio*, lege *privilegia*. pag. 97. lin. 2. *in te*, lege *inter*. Ibid. lin. 23. *Gaufridum*, lege *Gaufridus* pag. 108. lin. 30. dele *in*. pag. 114. lin. 16. *Pembertus*, lege *Daimbertus*. pag. 115. lin. 9. *ſepultus*, lege *ſuſceptus*. plura in hac pagina Typorum errata, manca, & mutila, opere ad finem adducto, reſtitui non potuerunt. pag. 116. lin. 9. *tamen*, lege *lumen*. pag. 120. lin. 13. *damnationem*, lege *dominationem*. Ibid. lin. 36. *famæ* lege *funus*. pag 134. lin. 29. *rectam*, lege *redactam*. pag. 141. lin. 26. *exitio*, lege *exilio*. pag. 159. lin. 35. *da*, lege *de*. Ibid. *uxore*, lege *uxor*. pag. 161. lin. antepen. *Clerico*, lege *Clerici*. pag 177. lin. 2. *formam*, lege *famam*. pag. 190. lin. 22. *&*, lege *qui*. pag. 194. lin. 29. *vix*, lege *vir*. pag. 197. lin. 7. *quod*, lege *quos*. Ibid. lin. penult. *quarum*, lege *quorum*. pag. 198. lin. 30. *confectum*, lege *contectum*. pag. 219. lin. 29 poſt *periculum*, pone *evadere*.

Digitized by Google